DE CAUSA MATRIMONII SERENISSIMAE [!] REGIS ANGLIAE LIBER, IOANNE...

John santo Fisher (santo)



TYPOGRAPHVS COMplutēn. ad Lectorem.



NOn te latet, studiose Lector, ortam nuper controuersiam in Angliæ regno, super matrimonio sereniss. Regis Henrici octaui cum. D. Catherina eius coniuge ante annos non paucos contracto. Eadē re librum hunc ab Io. Episcopo Roffēn. uiro egregie erudito, inq; diuinis studijs exercitatissimo compositum, nactus modo reuerendissimus in Christo pater & patronus meus singularis ALFONSVS Fonseca Archiepiscopus Toletān. mihi formis cudendum tradidit: significans meam hic industriam, non tantum illi acceptam fore, sed & studiosis simul doctisq; omnibus gratissimā futuram. Tum etiam hac de re suam sententiam dicturis lucem affulsuram non mediocrem ex huius libelli lectione. Paruimus pro uiribus tanto præsuli in causa tā pia, dedimusq; operam, ut opus emendatum, q̄ citissime in publicum prodiret: quo nostratibus theologis iurisq; pontificij peritis hunc labyrinthum iam iam ingressuris liberum facilemq; faceret aditum. Excipite igitur uiri eruditi cum gratiarum actione munus hoc quod per doctissimum præsulem concinnatum, uobis per me impertit munificentiss. idemq; optimus & præsul & patronus, meq; de solicitudine, si meritus sum, amate.

IO. ROFFENSIS EPISCOPI, IN CAV-
sa matrimonii inter illustrissimum Angliæ Regem Henricum octauum & Catherinam eius coniugem, ante multos annos consummati, Assertio.



Voties recordamur id matrimoniū quo Rex illustrissimus Henricus huius nominis octauus, inclitissimę fœminæ Dñę Catherinæ Regis Aragonum & Reginę Hispaniarū filię coniunctus est, tam iniquis calumniis demigratum esse, toties ex corde dolemus & ingemiscimus. Nā planè perspicimus ingentia damna, quæ si diuorcium procedat, haud dubie sequutura sunt. Verum vt cętera sileamus, dici nō potest quantum inde scandalum Apostolicæ sedi sit oriturum, quum tot priores Pontifices in similibus casibus antea dispensarint. Neminem enim opinor iam post tantam ingenii excussionem latet, Innocentium tertium, Liuoniensibus q relictas fratrum, absq̧ liberis decedentiū acceperant in coniuges, concessisse, quatenus easdem retinerent, et pro vxoribus vterētur. Istud omnino testatur decretalis illa, Deus qui ecclesiā, extra de diuorciis. Nec est vt quisq̄ dicat illos fuisse Iudæos, quibus Moses hoc ipsum ante concessit, nimirum vt relictis fratrum iungerentur. Nam Iudęos eos fuisse, neutiq̄ ex contextu verborū colligi potest. Sed esto Iudęi fuissent, quum tamē ad Christianismum essent recepti, legibus omnino tenebātur Christianis. Et si diuino iure fuisset istud prohibitum, nulli Pontifici licitum erat cum eo dispensare, quemadmodum & idem Innocentius affirmat in ca. literas. Atq̧ ita perstitissent illi semper in peccato mortali. Censuit

gitur omnino pōtifex is Innocentius tertius, vir & doctissi mus & optimus, casum istum non fuisse prohibitum diuino iure. Quæ sanè declaratio per tam insignem pontificem facta, litem omnem huiusce negocii dirimere suffecisset. Sed & post hunc Martinus quintus, quum esset ei casus propositus longe grauior, complures ex theologis legum'que peritis consuluit, quid in ea re facturus esset. Relatum fuit quendam contraxisse consummasse'que matrimonium cum eius germana, quam ante cognouerat fornicarie. Pontifex ergo tametsi varios in opinionibus cōperisset eos, quos in ipso negotio consuluisset, prospiciens tamen inde graue scandalum immi nere, dispēsauit, vt ratum haberetur matrimonium. Non fecit autem istud sine magna difficultate, sed fecit tamē. Quo suo facto planè declarauit, vt ob vitandum scandalum in leuioribus casibus possit fieri dispensatio.

ALEXANDER item sextus cū rege Portugalliç dispē sauit, quatenus prioris coniugis, de qua & masculū hçredem acceperat, sororem duceret, ex qua liberos postea genuit plurimos. Et sanè par affinitatis gradus est, inter sororem vxoris & vxorem fratris. Quare sicut licuit in illo, licebit pariter & in isto casu. Et quod maius est, dispensauit idem Alexander, cum Ferdinando minori Siciliæ citra Pharū rege, quatenus patris sui sororem Ioannam duceret in coniugem. Atqui satis constat, sororem patris, arctiore necessitudine filio eius cōiunctam, q̄ sit vxor fratris, fratri. Quare cum in illo quod maius est dispensauit, nō est dubium quin in eo quod minus est licuisset dispensare.

PRAETER HOS Leo decimus fratribus Augustinianæ ordinis, concessit per totum orbem Christianū quemadmodum in eius bulla palàm continetur, q̄ cum his qui in

primo affinitatis gradu scienter aut ignoranter contraxerāt, modo notorium id non fuerit, neq; in iudiciū productum, dispensare valeant vt de nouo contrahant, & in eodem item cōtracto matrimonio remaneāt, prole quinetiam legitima. QVOD SI casus iste diuino iure prohibitus fuerit, ac proinde sit indispensabilis à summo Pontifice, quātum numerum animarum hac sua bulla, misit is pontifex & quotidie mittit ad inferos! Nam penes deum violatio prohibitionis eius mortifera fuisset, nisi fuisset occulta, seu notoria, modo indispensabilis. Nec est dubium quin si Pōtifex nequeat dispensare, hi qui sic matrimonio coniuncti sunt, semper in mortali culpa persistant. Forte. siue vel seu.

INTER cæteros & Iulius secundus in hoc negotio similiter dispensauit quatenus Rex illustrissimus, quū esset princeps VVallia, duceret relictam illustris Arthuri fratris sui. Neq; dubium est, quin hęc res maximo consilio, summaq; deliberatione facta sit. Neq; enim defuerunt vtriq; Regi, nimirum Henrico septimo tunc Angliæ Regi, simul & Ferdinando Regi Hispaniarum Consiliarii prudentissimi, qui nihil prætermiserunt quod esset ad eam rem necessarium, vt si dispensatio quæpiam, vnq̃ sine errore fuisset impetrata, hæc vna caruisset omni vicio. Tangebat enim ea res vtrumq; Regem intime, ne vel huius filius legitimo frustraretur hærede, vel illius filia marito destitueretur suo. Quamobrem & nihil pro summa qua fuerant prudentia præditi, passi sunt deesse, quod ad negocii securitatē attineret. Nunc igitur post tot ante factas per summos Pontifices dispēsationes, nempe per Innocentium tertium, Martinum quintum, Alexandrū sextum, Iulium secundum, Leonem decimum, & alios, si decerneretur hoc matrimonium inualidum esse, quātum inde

scandalum, Apostolicæ sedi, imò vniuerso orbi Christia-no pareretur.

QVAMOBREM ET EX INTIMIS visceribus dolemus & ingemiscimus, quoties infamatio-nis huius matrimonii recordamur, quum nulla causa fue-rit, quo sic debeat infamari. Non inficior quin Regia ma-iestas, ex prohibitionibus illis Leuiticis, scrupum aliquem concipere potuisset, quo permoueatur inquirere, de ma-trimonii sui certitudine. Sed è diuerso miror haud mediocri-ter, quòd sint reperti viri quidam non indocti, qui scrupo isti magis ac magis augendo, non cessant operam suam, quan-to fieri studio possit, indies impertire.

VTINAM ADVERTERENT QVAN-to Regis illustrissimi, pariter & suas ipsorum conscientias exponunt periculo. Nam si satis istud aduerterent, nunquam vulnus hoc, quo Regia maiestas se grauari sentit, exulcera-ri sinerent, & in maiorem perniciem quotidie serpere. Sed interim bona fide se putant negotium agere. Atqui fieri potest, vt ita putent, quum tot habeant contradictores, nimirum patres propemodum omnes, qui speciatim hac de re tractant, non solum Theologos, verumetiam legum peritos, quemadmodum è singulorum testimoniis mox a-perte docebimus. Sed aiunt se negotium iam altius pene-trasse, quàm antea fecerint patres. At istud nudis verbis dicere, non satis est ad matrimonii vinculum dirimendum, & ma-xime talis matrimonii, ex cuius diremptione tot & tanta se-quutura sunt incommoda. Quin oportet eos prius ratio-nibus adeo clarissimis ostendere, matrimonii huius inualidi-tatem, vt à nemine possint labefactari. Nõ satis fuerit eis om-nium rationes quæ in contrarium afferentur perspicue dis-soluere

soluere (id quod impudenter se facturos iactitant) nisi tales & ipsi contrà proferant quæ nequeant vllo pacto reuinci. Ad illos enim spectat, qui matrimonium aliquod inualidum esse contendunt, solidissimas & inexpugnabiles eius rei causas & rationes reddere, quæ à nemine dilui valeant. Alioqui dici non potest, quot indies procurabuntur diuorcia fieri. Nam sunt innumeri, qui matrimonio coniuncti sunt, nec tamen vel ob inopiam testium, vel ob defectum aliorum munimentorum, sufficienter comprobare queant, se legitime fuisse copulatos. Quocirca necesse est si cupiant aduersarii matrimonium istud dirimere, tales in medium adducere probationes, quæ nullo pacto valebunt à quopiam infirmari. Id quod sat scio præstabunt nunquam. Negabunt forte quæ sunt verissima, pariter & affirmabunt quæ multum aliena sunt à veritate, tantum vt suas opiniones tueantur, quod & cuiuis factu facillimum est.

SED NIHIL AMBIGO AFFIRmatio negatioque nostra, semper apud probos & doctos probabilior erit quàm illorum, & maxime in causa tam fauorabili. Nos enim dicturi nihil sumus, quod aut solidissimis autorum Classicorum, atque id ingenti numero, testimoniis aut rationibus efficacibus, quas optimi doctissimique comprobabunt, non fuerit communitum. Illi contrà quoscunque produxerint autores quascunque ve rationes, nunquam tamen euincent scio, matrimonium istud fuisse iure diuino prohibitum. Sed vt hoc faciant, nunquam tamen ostendent Pontificem in hoc casu non potuisse dispensare. Porrò quod re ipsa Pōtifex dispensauerit, dilucidius est, quàm vt illorum argutiis obtenebrari queat. Quamobrem haud satis ipse mirari possum, quod tam parum & Illustrissimi

Regis & suarum animarum salutem curent, vt in hoc scirpo nodum (vbi nullus est) modo velint æquis oculis rem aspicere, tam anxie quærant. Sed nos quod polliciti sumus iam aggrediamur, ostendemusq́ꝫ per ordinem ista quę sequuntur.

PRIMVM legem illam Deuteronomicam de nuptiis fratriæ vere præceptum fuisse.

DEINDE ꝙ eadē intelligi debeat de fratre, si talis quisq́ꝫ extiterit, alioqui de proximo consanguineo.

TERTIO ꝙ contraria prohibitio nempe Leuitica, nequaq́ꝫ vniuersaliter est accipiēda, sed ad sensum aliquem peculiarem est limitanda.

QVARTVM ꝙ eadem sit iudicialis prohibitio, non moralis, iuxta quandam limitationem.

POSTREMO de prohibitionum illarum dispensabilitate loquemur. Et an summus Pontifex in casu possit cum eis dispensare.

PRO QVIBVS omnibus & singulis complures in medium autores producemus.

ET PRINCIPIO quum illi contendere soleant legē Deuteronomicam non fuisse præceptum, sed permissionem dūtaxat, nos licet alibi complures illustrissimos autores, ad id reuincēdū in mediū protulerimus, nō grauabimur eosdē vná cū aliis hic recēsere denuo, quo pateſiat omnibus, q̄ꝫ lō gissime absint huius matrimonii impugnatores á veritate.

IVLIVS AFFRICANVS.

IVLIVS AFFRICANVS imprimus autor vetustissimus in epistola quam ad Aristidem scripsit super diaphonia Euāgeliorum de Iacob & Eli, quos affirmat fratres vterinos fuisse, loquens ait. Quorū alter, idest, Iacob fratris Ely sine liberis defuncti vxorem ex mādato legis accipiens, genuit

genuit Ioseph:natura quidem germinis filiũ suum, propter quod & scribitur: Iacob autem genuit Ioseph. Secundum vero legis praeceptum Ely efficitur filius, cuius Iacob, quia frater erat, vxorem ad suscitandum fratris semen acceperat. Haec Affricanus.

EVSEBIVS.

CVI ET Eusebius Caesariensis subscribit, eundem in ecclesiastica historia recensens.

TERTVLLIANVS.

TERTVLLIANVS etiam qui licet secũdas nuptias damnet, negare tamen haudquaꝗ potest, illud in lege praeceptum fuisse. In lege, inquit, praecipitur, vt quis fratris sui vxorem, sine liberis defuncti in matrimonium adsumat. Hoc in libro de Monogamia.

RVRSVM aduersus Marcionem de eadem lege verba faciens, ait. Hoc permittente imò praecipiente lege, ꝙ si frater illiberis decesserit, vt à fratre ipsius, & ex costa ipsius suppararetur semen illi.

HIERONYMVS.

HIERONYMVS item in Commẽtariis super Matthęum idem affirmat, inquiens. Scimus enim hoc per Mosen, deo iubente, pręceptũ, vt si frater aut propinquus absꝗ liberis mortuus fuerit, alius eius frater accipiat vxorem.

ORIGENES.

ORIGENES item super Matthaeũ, ita scribit, Dignũ mihi visum est ponere ipsum textum legis, quem proferunt Saducęi, habentem hoc modo in Deuteronomio. Si habitauerint fratres in idipsum, & mortuus fuerit vnus ex eis, semẽ autem non fuerit illi, non erit vxor mortui fratris viro non

appropinquanti, frater viri eius ingredietur ad eam, & accipiet eam sibi in vxorem.

IOANNES DAMASCENVS.

PRAETER hos & Ioannes Damascenus libro quarto Orthodoxę fidei testať hoc ipsum, inquiẽs. Id nequaq́ latere par est ꝙ lex erat, viro moriẽte sine prole, fratrẽ eius defuncti coniugẽ sibi nuptiis copulare, & suscitare semẽ fratri.

CHRYSOSTOMVS.

ASTIPVLATVR & his Ioannes Chrysostomus, Iudæos coarguens, ꝙ legem illam Deuteronomicam, haud quaq́ seruassent. Tales, inquit, Iudæi sunt quos videmus, quasi omine quodam, a fratrum ducendis vxoribus deterreri. Quare q̃uis lex ipsa cogat, sæpe tamen hoc neglexerunt. Hoc in Omelia.71. super Matthæum.

RVRSVS IDEM Omelia.49 Quænam, inquit, erat prisca illa lex, quam Herodes conculcabat, & Ioannes vlciscebatur? & respondit, si quis absq; liberis obierit, fratri eius vxor sua detur. Hæc Chrysostomus.

HILARIVS.

ACCEDIT his Hilarius in euangelium Matthæi. Hęc inquit, in lege ratio seruata est, vt si mortuus sine liberis familiæ princeps esset, defuncti vxorem posterior frater eiusdem cognationis acciperet, susceptosq; filios in familiã eius qui mortuus esset referret, maneretq; ita in primogenitis successionis ordo, quum patres eorum qui post nati essent, aut nomine haberentur aut genere.

ISICHIVS.

ADIICIT his & suum calculum Isichius in Commentariis Leuitici. Hoc in alia parte legis, nimirum in libro Deuterono-

teronomii, non solum præcipit, sed etiam compulit dicens, Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absq; liberis mortuus fuerit, vxor defuncti, non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius.

CHRISTIANVS DRVTHMARVS.

DRVTHMARVS quinetiam grauis autor & vetustus in Commentario super Matthæum. Sed hoc sciendū quia lex præcipiebat vt acciperet frater alius ipsius vxorem cum sua vxore, & generaret filios in vxore fratris sui. Et illi qui nascerentur filii fratris mortui dicerentur.

AMBROSIVS.

AMBROSIVS insuper in Commentariis Lucæ. Vbi de vxore fratris absq; liberis defuncti sermonem habet, ita subiicit. Secundum litteram nubere cogitur, & in vita, vt defuncti semē excitet frater. Quare iuxta litteralem sensum, planè coactio fuit, & non permissio sola.

THEOPHILACTVS.

THEOPHILACTVS etiam in Matthæum, lex, inquit, iussit. Si quis sine liberis moriatur, vt eius vxor ipsius fratri copuletūr, & quod inde nascitur mortui esse censeatur, tametsi natura sit viuentis.

AVGVSTINVS.

CONCORDAT cum his Augustinus libro secundo super quęstioñ. noui & veteris testamenti quæstione nona. Lex, inquit, mandauit vt si quis, mortuus fuisset sine filiis, acciperet frater aut propinquus vxorem eius, & resuscitaret semen fratris sui.

NIHIL HACTENVS attulimus, nisi ex magni nominis autoribus. Quod si voluissemus ad turbam scriptorum

rum descendere ingens haud dubie volumen impleremus.

CAETERVM lex ipsa Deuteronomica citra quemuis alium autorem adeo dilucida est ex sese, vt pœna ibi adiecta manifeste doceat præceptum esse, nō permissionem dūtaxat. Nam quod solum permittit legislator, cuperet magis vt non fieret. Contra verò quicquid præcipit vult vt fiat, & proinde pœnam adiicit p̄uaricaturo legem. In lege quidem permittitur vsura/ permittitur & vxoris repudium. At nulla pœna statuitur his qui nolunt fœnerari, coniugésve repudiare suas. Sunt enim permissiones dumtaxat, non præcepta. Verum ei qui nolit vxorem fratris ducere, quum absq; liberis decesserit, pœna quædam infligitur. Quare perspicuum est legem illam Deuteronomicam, pręceptum esse nō permissionem solum.

CERNENTES igitur aduersarii neutiq̄; defendi posse, quin præcepti vim habeat lex Deuteronomica, subterfugium aliud comminiscuntur. Nempe q̄ vocabulum fratris aliter in hoc præcepto sit accipiendum q̄; in Leuitica prohibitione. Volunt enim prohibitionem Leuiticam intelligendam esse de germano fratre: Iussionem contrà Deuteronomicam nequaq̄; pro germano fratre, sed pro cognato propinquo debere itelligi. Sed istud ab eis facile dici potest, probari verò, nō ita. Nos contrà dicimus eam legem accipiendam esse de proximo sanguinis, quisquis ille fuerit, siue frater, siue quiuis alius à fratre remotior. Et quo nostra quidem affirmatio probabilior sit in hac re q̄; illorum negatio, pluribusq; collectionibus in tertio nostro scripto super hoc eodē negotio monstrauimus. Quas vtiq; collectiones & hic operæpretium erit summatim recensere, licet ordine transuerso q̄; illic sint reposita. PRIMA

PRIMA COLLECTIO.

PRIMA collectio iam erit hæc. Nullus vnq̃ patrum qui nos præcesserũt, in ecclesia Christi legem ipsam Deuteronomicam aliter intellexerũt q̃ de germano fratre, si quisq̃ huiusmodi superstes fuerit, vel ob defectum eius de tali, qui sanguine fuisset propinquior: id quod omnium Orthodoxorum testimoniis, qui legem hãc interpretati sunt, aperte doceri potest. Nam & ibi citauimus complures ex antiquissimis & illustrissimis autoribus græce, latine & hebraice doctis, nimirũ Origenem/ Isichium/ Ioannem Damascenum/ Chrysostomum, Eusebium, Tertullianum, Iuuencum, Ambrosium, Augustinũ, Rodulphum Flauiacensem, Iosephũ, Rabbi Mosen Aegiptium, Lyranum, Alphonsum, Hieronymum, quorum omnium interpretationes, singillatim ibi recẽsuimus quas si quis desideret ibi reperiet. Sed p̃ter istos, paulò ante, quum ostenderemus legem illam Deuteronomicam vere præceptum esse, diuum item Hilarium & Iulium Affricanum citauimus, qui tam aperte confirmant hoc ipsum vt nihil posset apertius dici. Verum hic satis fuerit Iulium Affricanum recensere. Nam is nominatim de duobus vterinis fratribus loquitur, nimirum Ely & Iacob, affirmans hunc illius vxorem accepisse, q̃ ita lege Deuteronomica p̃cipiebatur. Eamq̃ rem certo didicisse ab hiis, qui iuxta carnem cognati Christi fuerant. Quum igitur tot Orthodoxi patres, tam eruditione q̃ vita probatissimi, tanta concordia rem hanc asseuerent, neq̃ vllus vnq̃ repertus sit qui contrarium affirmarit, quin de germano fratre debuisset ea lex intelligi, nunquid mira temeritas est, dicere præceptum illud de germano fratre neutiq̃ intelligi debere?

SECVNDA COLLECTIO.

NON

NON SOLVM patres & scripturarum interpretes, ita senserunt, verumetiam vniuersa prorsus Ecclesia, verum id esse crediderit, quod illi patres & interpretes, tanto consensu prædicarunt. Quum itaq; non sit credibile deum benignissimum, per tot annorum cẽtenarios, fuisse passum Ecclesiam suam errare, præsertim Paulo tam confidenter eam appellante basim & columnam veritatis, oportet hunc scripturæ sensum verum esse, & legem illam Deuteronomicam de germano fratre intelligi, quãdoquidem hoc ipsum omnes illi patres, ad hunc modum velut ore totius Ecclesiæ communi testificarunt.

TERTIA COLLECTIO.

NON POTEST Ecclesiæ sponsæ Christi cõditio deterior esse, q̃ olim erat Sinagogę, sub Mose. Sed in ambiguis omnibus illo tempore dilucidandis, summi Sinagogę Pontifices, summam habuerunt autoritatem, ita vt quemadmodũ Deuteronomii.17.traditur, qui noluerit in huiusmodi declarationibus, obedire summi sacerdotis imperio, qui tunc administrabat domino, decreto iudicis esset moriturus. Quamobrem & nunc aut lõge maiorem aut saltem parem summi Pontifices potestatem habent, in explicandis & elucidandis scripturis, vbi dubia quædam forte emerserint. At certum est complures Põtifices declarasse legem illam Deuteronomicã, de germano fratre fuisse intellectam, & præsertim Innocentium tertium extra de diuor. cap. Fi. Deus qui Ecclesiam. Huic igitur interpretationi nemo satis Orthodoxus contrauenire deberet.

QVARTA COLLECTIO.

TRES EVANGELISTAE Nempe Matthæus, Marcus, Lucas ipsam legẽ Deuteronomicã recensent, nomine fra-

ne fratris. Quamobrem & nomine germani fratris venit intelligenda, neq; enim verisimile est, legem hanc aliter fuisse recensitam, q̃ a Iudæis generaliter fuisset intellecta & in sua lege tradita. Matthæus igitur Saduceos ait ita fuisse Christo loquutos. Moses dixit, Si quis mortuus fuerit nõ habens filiũ vt ducat frater eius vxorẽ illius, & suscitet semẽ fratri suo.

MARCVS hunc sequitur ad hunc modum Moses scripsit nobis, vt si cuius frater mortuus fuerit & dimiserit vxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater eius vxorem ipsius & resuscitet semen fratri suo.

LVCAS itidem ita, Moses scripsit nobis. Si frater alicuius mortuus fuerit habẽs vxorẽ, & hæc sine liberis fuerit, vt accipiat eam frater eius vxorẽ, & suscitet semen fratri suo.

QVANDOQVIDEM igitur his tres Euãgelistę, sic recensent præceptum illud Deuteronomicum, de fratribus, palàm est in latinis codicibus nullum errorem esse, sed quemadmodum in Deuteronomio legimus, quãdo quisq; fratrum mortuus fuerit, frater eius, præcepto legis accipiet eam in vxorem.

QVINTA COLLECTIO.

NVLLVM prorsus in sensu dissidium est inter hebraicam scripturam & septuaginta interpretes, atq; latinorũ codices, quantũ ad hunc locũ attinet, vt & ibidem ostẽdimus ex locorũ conferentia. Sed & manifeste colligitur, latinos & græcos atq; hebraicos codices in hoc consentire, q' de germano fratre, si quisq; hmõi supstes fuerit, ea lex debeat accipi, cũ & in oĩbus his aperta fiat fratris mentio. Lexq; ob id imprimis cõdita fuit, ne trãslatio fiat hęreditatis, à familia in familiã. Nullum igitur horũ codicũ reiiciẽdum arbitramur, nisi vbi forte librariorũ vitio sit erratũ. Nam latinus codex

qui per ecclesiã receptus est minoris auctoritatis habendus est, q̃ꝫ aut hebraicus aut grecus. Grecus enimuero codex de septuaginta locis a spiritu sancto profectus est sicut & hebraicus.

SED ET latino codici, qui per tot annorũ curricula iam per ecclesiam cõprobatus est, nihilominus est deferendum, q̃ꝫ illorum alterutri, quandoquidem & Christus qui nec falli nec fallere potest, Spiritum se daturum ecclesiæ pollicitus est, qui ducturus eam esset in omnem veritatem. Perspicuum igitur, ex his quinqꝫ collectionibus factum esse non dubitamus, ꝙ lex Deuteronomica de germano fratre, si quisq̃ꝫ talis extiterit, intelligenda sit.

EXEMPLA LEGIS DEVTERONOMICAE.

POSTQVAM igitur hæc duo firmauerimus, nẽpe ꝙ Deuteronomica lex preceptiua sit & cõpulsiua, non pmissiua solum, & ꝙ ipsa de germano fratre sit accipienda: iam & istud monstremus, parum pudẽter ab eis assertum, ꝙ nusq̃ꝫ huius rei reperta sint in sacris litteris exempla, ꝙ frater videlicet accepisset vxorem fratris.

SED VIDE lector, quantum istud versute faciunt, nam adiiciunt hanc particulam, siquidem fuisset ab isto prius cognita. Persuasum enim habẽt neminem docere posse fœminam illam fuisse cognitam ante a fratre nisi palàm id expressisset scriptura. Ob quod & ad angulos istos diuertunt sese, Vnde neminem putant eos eruere posse.

SED ISTVD eis nihil opitulabitur, quãdoquidem & ipsa lex Deuteronomica, simpliciter & absolute pronunciat de vxore fratris absqꝫ liberis defuncti, siue cognita, siue incognita. Et sanè magna præsumptio est, illam fuisse cognitã si cohabitasset aliquãdiu cum marito, quod & illi totis viribus verum

bus verum esse contendunt, in casu quem iam excutere mo-limur. At & istud nihil eis adminiculabitur, etiā si possent ipsum illo pacto statuere quandoquidem ex mera negatiua nihil affirmatiuum colligere queunt.

CAETERVM istud parum prudēter affirmāt, quū tot sint autores grauissimi qui cōtrariū asserūt. Sed neq; proba-būt vnq̄ qđ ipsi iactitāt. Nos enim ex ipsis Christi genealogiis p Matthęū & Lucā traditis quatuor petemus exempla.

SED INCIPIAMVS primum à Ioseph, quem autores vetustissimi testātur duos habuisse patres, alterum naturalem, legalem alterum. Patrem quidem eius naturalem affirmant fuisse Iacob, quemadmodum & Matthæus testatur inquiens. Iacob autem genuit Ioseph. At legalem eius patrem aiunt Eli fuisse propter verba Lucæ, progeniē Christi describentis & dicētis vt putabatur esse filius Ioseph, qui fuit Eli Ioseph, igitur ex Iacob natura progenitus est. Et tamen iuxta legem pater eius item dictus est Eli. Nam erant Iacob & Eli fratres vterini, quemadmodum postea mōstrabim⁹, ex eadē videlicet matre, sed diuerso patre geniti. Quo factum est vt cū Eli vxore ducta, sine liberis decesserit, Iacob illius frater iuxta legem Deuteronomicam defuncti fratris vxorem acceperit, atq; ex ea genuerit Ioseph, qui postea vir Mariæ virginis erat. Fuit itaq; Ioseph filius Iacob p naturam, & nihilominus per legem, filius Eli vocatus est.

HAEC ita se habere, cōpluribus autoribus & eisdē grauissimis cōprobare possumus, nimirū Affricano, Eusebio, Cęsariēsi, Gregorio Naziāzeno, Ioanne Damasceno, Hieronymo, & cæteris maiori numero q̄ sit opus hic recensere,

AFFRICANVS primum ita scribit. à Dauid per Salomonem generatio, quam dinumerat Matthæus, tertium à

fine facit Mathã, qui dicitur genuisse Iacob patrem Ioseph, per Mathan verò per Dauid. Lucas generationũ ordinem texens, tertium nihilominus eiusdem loci facit Melchi. Dicit enim Ioseph, q fuit Eli, qui fuit Melchi. Nobis autẽ eminet ostendere, quomodo Ioseph dicitur secundũ Matthæũ quidem patrem habuisse Iacob, qui deducitur per Salomonem, secundum Lucam verò Eli, qui deducitur per Mathã. Vtq; isti ipsi, idest Iacob, & Eli, qui erant duo fratres, habẽtes alius quidem Mathan, alius quidẽ Melchi patrem, ex diuerso genere venientes, etiam isti Ioseph aui esse videantur. Est ergo modus iste, Mathã & Melchi, diuersis temporibus de vna eademq; vxore Escha nomine, singulos filios procrearunt, quia Mathan, qui per Salomonem descẽdit, vxorẽ eam primus acceperat. Et relicto vno filio, Iacob nomine, defunctus est, post cuius obitum quoniam lex viduã alii viro non vetat nubere, Melchi qui per Mathã genus ducit, cum esset ex eadem tribu, sed non ex eodem genere, relictam Mathæ accepit vxorem, ex qua & ipse suscepit filiũ Eli nomine, per quod & diuerso patrum genere, efficiuntur Iacob & Eli vterini fratres, quorum alter, idest Iacob, fratris Eli sine liberis defuncti, vxorem ex mandato legis accipiens, genuit Ioseph, natura quidem germinis filium suum, propter quod & scribitur. Iacob autẽ genuit Ioseph. Secũdũ verò legis pceptũ, Eli efficit̃ filius cui9 Iacob, quia frater erat, vxorẽ ad suscitandũ fratris semẽ acceperat. Et p hoc rata inuenit̃ atq; integra generatio, & ea quã Matthæus enumerat dicẽs. Iacob aũt genuit Ioseph, & ad quã Lucas cõpetenti obseruatione designat dicẽs q putabatur esse filius Ioseph, qui fuit Iacob. HAEC Affricanus ad Aristidem scribẽs, super Euangeliorũ dissonãtia. Sed & ne qs de veritate rei hui9 ambigat. Idẽ

paulò

paulopost subiũgit, inquiẽs. Hæc autẽ nõ nobis ad subitũ reperta, aut absq; vllis autoribus cõmenta sunt. Sed ipsi hæc Saluatoris nostri, secũdũ carnẽ propinqui, seu studio tãti seminis demonstrãdi, siue edocendi, quæ secundũ veritatẽ gesta sunt, tradiderunt. HAEC rursum Affricanus.

HVNC AFFRICANVM Eusebius in historia sua recenset eiusq; dicta cõprobat, quibus, vt affirmat, exacte perscrutatis, veritas Euangeliorum euidẽtissime declaratur. Astipulatur his & Gregorius Nazianzenus ita scribens.

MATHAN ex Salomone ducens genus duxit Eschan.
HOC veró itaq; mortuo, Nathides nomine Melchi,
ET HVIC quidem Iacob, illi veró Eli genuit filios.
ELI autem mortuo, postq̃ prolem nullam reliquebat,
STATIM dominumq; lectumq; Iacob non cõpatrius
SVSCEPIT, & genuit filium fratri bonum Ioseph.
SIC huius quidem erat, huius autem scribebat lex Ioseph.
EVANGELISTARVM autẽ hic qdẽ dixit naturã:
MATTHAEVS ille veró scripsit, Lucas legem.
DESINE perturbare pulchram concordiam.
HAEC ipse Gregorius.

DIVVS itẽ Hie. ĩcõmẽtariis sup Matthęũ illi subscribit ita dicẽs. Iacob aũt genuit Ioseph. Hũc, inqt, locũ obiecit nobis Iulianus August⁹ dissonãtię euãgelistarũ, quũ euãgelista Matthę⁹ Ioseph dixerit filiũ Iacob, & Lucas filiũ appellauit Eli, nõ intelligẽs cõsuetudinẽ scripturarũ, q alter secũdũ naturã, alter secũdũ legẽ ei pater sit. Scim⁹ eñ hoc p Mosen, deo iubẽte, pceptum, vt si frater aut ppinquus, absq; liberis mortuus fuerit, ali⁹ ei⁹ frater accipiat vxorẽ ad suscitãdũ semẽ fr̃is vel ppinq sui. Sup hoc & African⁹ tẽporũ scriptor, & Eusebi⁹ Cęsariẽsis ĩ libris διαφωνίας ἐυαγγελίων pleni⁹ disputat.

HAEC HIERONYMVS. Aduerte lector quod dicat: Scimus. & adiicit, deo iubente, præceptum esse.

AMBROSIVS itidem super Lucam de eadem re tractãs ita scribit. Illud quoque aduertim⁹ quod sanctus Matthęus, Iacob qui fuit pater Ioseph filium Mathan fuisse, memorauerit. Lucas vero Ioseph cui desponsata erat Maria, filium Eli, Eli autem filium Melchi esse descripserit. Quomodo vnius duo patres, idest Eli & Iacob? Quomodo etiam duo paterni aui, Mathã & Melchi? Sed si requiris inuenies, quod iuxta præceptum legis veteris duo fratres diuersos filios vterinos ex vna vxore generauerint. Traditur enim Mathan qui à Salomone genus duxit, Iacob generasse filiũ, & vxore superstite decessisse, quam postea Melchi accepit vxorem, ex qua generat⁹ est Eli. Rursus Iacob, Eli fratre sine liberis decedẽte, copulatus est fratris vxori & generauit filium Ioseph qui iuxta legem Eli filius dicitur, quoniam semẽ fratris defuncti, frater iuxta legis veteris seriem suscitabat. Ita duorum filius dictus est nõ ab vtroque generatus, sed quia alterius secũdum generationem, alterius secundũ legẽ factus est filius.

HAEC AMBROSIVS.

ACCEDIT his Damascenus ita scribens. Ex serie Salomonis filii Dauid Mathan duxit vxorem, ex qua genuit Iacob, mortuo autem Mathan, Melchi qui erat ex tribu Mathan filius Leui, frater vero Pãtheris nupsit vxori Mathan, matri quidem Iacob & genuit ex ea Eli. Erãt igitur fratres vterini Iacob & Eli. Iacob quidem ex tribu Salomonis, Eli verò ex tribu Mathan: defuncto autem Eli, ex tribu Mathã sine liberis, accepit Iacob frater ei⁹, ex tribu Salomonis vxorem eius, & suscitauit semen fratri suo, & genuit Ioseph. Ioseph igitur natura quidem est filius Iacob ex descensu à Salomone,

lomone, secundum verò legem filius Eli ex Mathan.

HAEC DAMASCENVS.

CAETERVM hic forte nobis obiiciunt Augustinum qui nonnullis in locis negat Eli & Iacob fuisse fratres vterinos, neq; Ioseph fuisse filium Eli legalem. Et istud sanè verum est. At quid si dixerit istud Augustinus vnus contra tot & tam eximios patres sequutus est iudicium suum, quum adhuc Iulium Affricanū haudquaq; legerit. Quam rem & ipse palā fatet in retractationibus suis li. secūdo cap. quinto. Propter quod & recantauit quicquid alibi scripserit in hac re, & praecipue cum disseruerit contra Faustum, vbi sic ait. In libro ergo tertio cum soluerem quaestionem, quomodo potuerit duos patres habere Ioseph, dixi quidem φ ex alio natus, ab alio fuerit adoptatus. Sed genus quoq; adoptionis dicere debui, sic enim sonat quod dixi tanq; eum viuus adoptauerit alius pater. Lex autem filios etiam mortuis adoptabat, iubens vt fratris sine liberis mortui duceret frater vxorem, & fratri defuncto semen ex eadem suscitaret, quae profecto de duobus vnius hominis patribus, expeditior tibi redditur ratio. Vterini autem fratres fuerunt in quibus hoc contigit, vt vnius defuncti qui vocabatur Eli, duceret alter vxorem, idest Iacob, à quo Matthaeus narrat genitum esse Ioseph, sed vterino fratri suo eum genuit, cuius filium Lucas dicit fuisse Ioseph, non vtiq; genitum, sed ex lege adoptiuū. Hoc in eorum litteris inuētum est, qui recenti memoria post Ascensionem domini de hac re scripserunt. Nam etiam nomen eiusdem mulieris quę peperit Iacob patrem Ioseph de priore marito Mathan qui fuit pater Iacob, auus Ioseph secundū Matthęum, & de marito posteriore Melchi peperit Eli, cuius erat adoptiuus Ioseph, non tacuit Affricanus.

Quod quidem cum Fausto respōderem nondum legeram. HAEC Augustinus. QVIBVS verbis ingenue fatetur se cum priora scripsisset, nondum Affricanum legisse, quē affirmat hac de re scripsisse recenti memoria post Ascēsionem domini. Neq; mulieris tacuisse nomen quæ duobus vterinis fratribus, alteri post alterum iūcta fuerat. Quare dilucidum est, Augustinum cum veteribus illis, quos ante me moraui, sensisse concorditer.

SED PRAETER hos ni vererer ne liber nimium excresceret citare possem Bedā, Rabanū, Druthmarū, Clemētē, Lanthoniensem, Zachariā, Chrysopolitanū, Alphōsum, Lyranum, Albertū, Petrum cōmestorem, & cęteros innumeros. Ex quibus aptissime liquet Iacob & Eli fratres vterinos fuisse: Iacob autem, Eli defuncto, coniugem eius duxisse, atq; ita iuxta legem Deuteronomicam, semen suscitasse fratri suo. CLARISSIMVM igitur exemplum legis Deuteronomicę nobis hoc loco proponitur, nisi maiorē fidem manibus hominum commentis, q̄ tot autorum probatissimorū sententiis, habituri sumus, & maxime cū Affricanus scriptor adeo grauis, ex his qui iuxta carnem Christo propinqui fuerant eadem se accepisse constanter affirmet.

OBIECTIO.

CAETERVM & hic rationes quas afferunt aduersarii dissoluendę sunt. Sic enim obiiciūt primū. Iacob inquiunt & Eli, licet ex eadē tribu fuerint, atq; Dauidica ex stirpe prodierint, fratres tamen esse non potuerunt, quum alter p lineā Salomonis, alter per lineam Mathan descenderit. Quare valde distantes erant.

SOLVTIO.

HAEC OBIECTIO nullius roboris est, nam qd vetat

vetat vnam & eandem fœminam duobus nubere viris, quorum alter per lineam Salomonis, alter per lineam ipsius Mathan descēdisset? Hæc igitur fœmina cum vtriq; vicissim alteri post alterum peperisset, atq; ita binos ab eis accepisset filios, quid vetat hos filios qui & fratres sunt, postq̃ ad virilē ętatem venerint, cuidam alteri fœminæ iuxta præceptum veteris legis copulari, hoc est altero illorum absq; liberis mortuo, alterū eidem fœminæ, nimirū vxori sui fratris coniūgi. Quid in hac re quæso, distantia linearū queat obsistere? Nihil haud dubie. Et ad hūc sanè modum habuerunt se Iacob & Eli, nam erant vterini fratres ex eadem matre, licet non ex eodē patre geniti. Pater enim Iacob fuit Mathan, qui p Salomonem descendit. Pater autem Eli fuit Mathat, qui per Mathan profluxit. Quare cū Iacob esset vterinus frater Eli, & is accepta coniuge diem obiisset absq; liberis, compulsus ille fuit lege Deuteronomica, relictam huius in coniugem accipere, de qua & genuit Ioseph Mariæ virum. Parū efficax igitur est hæc obiectio, q̃ propter ingentem linearum distantiam Salomonis ex Mathan Eli & Iacob nō potuerunt esse fratres.

ALTERA OBIECTIO.

RVRSVM OBIICIVNT Ioseph haud quaq̃ fuisse filiū Eli legalem. Nam vbi quis vt, aiunt, defuncti fratris coniugem duxisset, filio quem ex illa suscipiebat, nomen fratris defuncti imponebat, iuxta priscorum institutionem, vt & semen & nomen fratri suscitaret, quū lex vtrunq; suscitari iusserit. Quare Ioseph qui fuit Eli filius legalis, non Ioseph sed Eli vocatus fuisset.

POSSET HIC RESPONDERI paucis non esse nouū in sacris litteris vt aliqs binois sit aut trinominis.

Et nunc eundem vno, nunc altero nomine vocari. Quare licet hoc loco Ioseph ob certam aliquam considerationem vocetur Ioseph, potuit nihilominus ab aliis Eli vocari.
CAETERVM autor glossæ communis apertius hanc obiectionem refellit, ostendens non semper obseruatũ fuisse, vt qui per fratrem genitus esset, ex vxore fratris, nomenclaturam acciperet ipsius mortui. Quam rem & probat sacrarum litterarum testimonio, nimirum ex eo ꝙ cum Booz iuxta legem dictam accepisset Ruth vxorem quæ prius nupta fuerat Maalon, filio Elimelech, cognati ipsi9 Booz, puer qui genitus erat nõ Maalon, neq; Elimelech, sed Obeth vocabatur. Verũ communẽ ipsam glossam audiamus. Quod dicitur, inquit, filius eius nomine vocari cui suscitatur, non est verum quando Booz eum quem genuit ex Ruth, non Elimelech cui suscitatur sed Obeth vocauit. HAEC autor communis glossæ.
SIMILITER & Salatiel qui iuxta Lucam Neri patrẽ habuit, iuxta Matthęum vero Iechoniã, huius erat filius naturalis, illius vero legalis, neutrius autem retinuit nomenclaturam. Tales hud dubie plęriq; fuerunt alii, tametsi nulla fit eorũ in scripturis mẽtio. Neq; Obeth igitur neq; Salatiel, sed neq; Ioseph defuncti nomen accepit, ita ꝙ vocaretur illius nomine, sed ꝙ illius filius lege dicti iuberetur.
INFANS (inquit) qui natus fuerit cõstituetur ex defuncti nomine, hoc est vocetur filius illius. Atq; ita diuus Augustinus hunc locum interpretatur, dicens. Cõstituetur ex defuncti nomine non vt eius nomen accipiat, sed vt ex eius nomine, idest tanq̃ filius non eius cuius semine est genitus, sed illius defuncti, cui semen suscitatum est hæres, constituatur. HAEC AVGVSTINVS. Ad quem sane modum
& explicat

& explicat id quod in fine legis traditum est, nimirum & nō delebitur nomen eius ex Israel, propter qđ & subdit. Quod enim additū est. Et nō delebitur nomē eius ex Israel, ita potest intelligi, non ꝙ nomen eius puer consequenter accipiat, sed ꝙ ille non sine posteritate mortuus esse videatur. Et ideo pmanet eius nomen, idest memoria. HAEC Augustinus. NIHIL igitur obsistūt obiectiones quæ per aduersarios allatæ sunt exemplo quod de Iacob & Eli produximus.

SECVNDVM EXEMPLVM.

QVARE IAM ad alterum exemplum veniamus. In eisdē genealogiis habetur de Salatiel, qui iuxta Matthæum quidem patrem habuit Iechoniam, de linea Salomonis, iuxta Lucam verò patrem habuit Neri de linea Nathan. Et hic autores qui scrupum hunc excutiunt, qui fieri possit vt Salatiel hos duos patres habuisset, aiunt alterū patrem fuisse naturalem, alterum vero legalem.

PRO QVA RE statuenda sufficiet nobis vnus in præsentiarum Iulius Affricanus quem ante citauimus. Nam is pro generali quadam norma conciliandæ vtriusꝗ genealogię tradidit hunc modum. Apud gentem (inquit) Israel generationum nomina, nunc secundum naturę, nunc etiam secundum legis ordinem numerantur. Naturę quidem successiones habētur, quæ ex seminis vel sanguinis veritate descendunt. Legis autem, cum quis filius alio generante substituitur, sub nomine fratris defuncti sine liberis. Cū enim resurrectionis inter eos spes needum fuisset accepta, per hæc resurrectionis quandam imitabantur imaginem, vti ne nomē generis vitio sterilitatis oboleretur. Cum ergo huiuscemodi apud eos generationum ordines seruarentur, vt quidam ex ipso germine, quidā ex substitutione ab aliis generati, aliis, filii

legis beneficio deputarent á singulis Euangelistarũ vtriusq; modi commemorata successio est, idest vt alter eorum eum qui genuisset, alter veró cum qui quasi genuisse videretur, exponeret. Et ita fit vt neutrum Euangelium mentiatur, dum aliud naturæ ordinem, aliud veró legis exequitur regulam. Coniũctum namq; sibi est inuicem genus. Et illud quod p Salomonem, & illud quod per Mathan deducitur, per legales substitutiones, quę fiebãt his, qui sine liberis decedebãt, & per secundas nihilominus nuptias quibus vnus atq; idem aliis parentibus progenitus, aliorum esse filius videbatur. Et ita fit vt vtraq; narratio generationũ vsq; ad Ioseph verissimis lineis deducatur, diuerso quidem, sed satis explorato ordine designata. HEAC AFFRICANVS.

EX QVIBVS apertum est filios dici generatos aliter iuxta naturæ, aliter iuxta legis ordinem. Et naturæ successionem esse dicit, quando quis ex seminis aut sanguinis veritate descendit, legis verò successionem asserit, quando iuxta legem Deuteronomicam, quis filius alio generante substituitur sub nomine fratris defuncti sine liberis. Quãobrē & ab Euangelistis memoratam vtriusq; modi successionem affirmat sic, vt alter Euangelista patrem cuiuspiam deputat, eum qui vere genuisset. Alter eum patrem vocat, qui iuxta pręceptum legis visus est genuisse. Quo factũ est, vt neuter Euangelista mentiatur, dum alter naturę ordinem, alter legis regulam exequitur. Vt igitur ad rem veniamus. Quum Salatiel duos legitur habuisse patres, alterum Iechoniam, scribente Matthæo, q Iechonias genuit Salatiel, alterum Neri, tradēte Luca, q Salatiel esset Neri iam iuxta normam ab Affricano traditam, alterius iuxta naturæ ordinem, alterius iuxta legis regulam habendus est filius.

PORRO

PORRO DE SALATIELE scriptum est, q̄ Zorobabelem habuisset filium, quemadmodū vterq; testatur Euangelista. Sic enim Esdrę tertio, cap. quinto, traditur. Et Zorobabel filius Salatiel. Et rursum Aggei secundo dictum est, Assumam te Zorobabel fili Salatiel serue meus. Pater itaq; naturalis ipsius Salatielis iuxta genealogiam Matthæi Iechonias fuit. Pater verò legalis eiusdem iuxta Lucæ genealogiam erat Neri. Atq; ad hunc modum vtraq; genealogia, sibi conciliatur. Hoc igitur alterum exemplum est exsequutę legis Deuteronomicæ.

TERTIVM EXEMPLVM.

HABETVR ET exemplum tertium ex eisdem genealogiis, nimirū Obeth qui tametsi naturalis esset filius Booz iuxta Matthæum, erat nihilominus iuxta legem filius Maalon defuncti qui pridem fuerat maritus Ruth, quemadmodum traditur in libro Ruth.

CAETERVM HIC aduersarii forte dicent. Quid ad rem attinet? Nos enim de fratribus, & non de quibusuis cognatis loquimur. Liber autem iste de cognatis mentionē tantum facit. Nos verò contrà nihil dubitamus ad nostrum institutū, & haud mediocriter cōferre librum illū Nam & si Booz non esset frater Maalon, sed alius esset sanguinis propinquior, tamē si vel ipse Booz vel ille alius fuisset frater, eodem iure, hoc est Deuteronomica lege, tenebatur ad Ruth in coniugem accipiendam, neq; enim ius aliud scriptum extitit, præter legem ipsam Deuteronomicam, qua vel Booz, vel ille alius vrgebatur illam sibi copulare. Quamobrem & huius legis Deuteronomicę Noemi ibidē meminit, 3. ca. Dū hortaret̃ vtraq; nurū suā, maritis earū defunctis, q̄tenus i patriā suā rediret. Erāt enī Moabitides. Et dixit ad eas Noemi,

Reuertimini filiæ, cur venitis mecum? nam vltra habeo filios in vtero meo, vt viros ex me sperare possitis. Quam aliã ob causam dixisset istud Noemi nuribus suis, nisi propter legẽ Deuteronomicam, qua iussum fuit vt superstes frater vxorẽ defuncti fratris illiberis acciperet. Nam si Noemi plures habuisset filios hi fuissent fratres Maalon, & Chelion ante defunctorum & tenerentur eadem lege coniuges earũdem accipere. Propter qđ & subdit Noemi, Reuertimini filiæ meæ & abite. Iam enim senectute confecta sum nec apta vinculo coniugali. Etiam si possem hac nocte concipere & parere filios, si eos expectare velitis donec crescant & annos pubertatis impleant, ante eritis vetulę q̃ nubatis. Quis iam nõ perspicit hæc dicta fuisse propter legem Deuteronomicam?

PROPTER QVOD enarratores huius loci legem eandem hic recensent. Præceptum, inquit, erat in lege Deuteronomii. 25. ꝙ si aliquis moreretur sine hærede relicta vxore frater eius acciperet eã ad suscitãdũ semẽ fratri suo defuncto.

PALAM EST igitur ꝙ per hoc exemplum ad legem ptinet Deuteronomicã, quodq; Booz tametsi fuisset Maalon hoc ipsum fecisse teneretur.

SED ET IDEM colligi rursum potest ex his quæ inferius dicuntur, nam vbi iuxta Deuteronomicam legem, solutum erat calciamẽtum eius, qui cesserat iuri propinquitatis suæ, quæ & fuerat pœna violatę legis, dixit natu maioribus & vniuerso populo. Testes vos estis ꝙ possiderim omnia quæ fuerunt Eli, Melech & Chelion, & Maalon tradẽte Noemi & Ruth Moabitidem vxorem Maalon in coniugiũ sumpserim, vt suscitem nomen defuncti in hęreditate sua, ne vocabulum eius de familia sua, ac fratribus & populo deleatur, nimirum vt suscitetur, & semen & nomen defuncti sine

liberis

liberis, per eum qui sanguine propinquior fuerat, siue frater is fuisset siue cognatus alius. Nam ad proximum de sanguine eius hoc attinebat, vt teneret proximi consanguinei vxorem accipere, cum iste sine liberis esset defunctus. Alioqui si rem eam facere recusarit, mulcta legis ei subeunda fuit.

BOOZ ITAQVE cū esset vir iustus nosset'q; virū alium sanguine propinquiorem ipsi Maalō defuncto, noluit Ruth eius vxorem accipere, nisi prius ille renunciasset iuri suo. Propter quod & Booz dixit ipsi Ruth, quemadmodū tertio cap. scriptum est. Nō abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior, q si te voluerit iure propinquitatis retinere, bene res acta est, sin autē ille noluerit, ego te absq; vlla dubitatione suscipiam. Quàm vtiq; pollicitationē & postea sancte prestitit. Nam rogato propinquiori illo, num iure propinquitatis vellet suscipere coniugem Ruth, vnà cum hereditate, et eodem palā coram senioribus renuente, cedente'q; iuri suo, mox illam Booz accepit in coniugem. Genuit itaq; Booz ex ea filiū nomine Obeth, qui natura filius erat ipsius Booz, lege vero filius Maalon cognati sui qui dudum erat maritus ipsi Ruth.

PRAETER HAEC confirmat iste liber longeuam eiusdem legis Deuteronomicæ consuetudinem quarto cap. vbi sic habetur. Hic erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, vt si quando alter alteri suo iuri cedebat, vt esset firma concessio, soluebat homo calciamentum suum, & dabat propinquo suo. Hoc erat testimonium cessionis in Israel. Porrò q dicit antiquitus hūc fuisse morem, potest etiam intelligi ante legem scriptam. Quandoquidem & ante legem scriptam, frater vxorem fratris absq; liberis mortui ducere tenebatur. Quod de filiis Iudę manifestum fuit vti mox di

cturi su-

ctuti sumus. Sed hæc pro tertio exemplo satis dicta sunt.

QVARTVM EXEMPLVM.

QVARTVM exemplum suppeditat nobis factum Iudę, cuius & vtraq; genealogia meminit. Is enim duos per ordinē filios vni fœminæ dedit maritos, nempe Thamar & tertium item nōdum adultum spopōdit eidem se daturum. Istud certe non fecisset, nisi lege quadam eius temporis non dum scripta cogeretur. Quę res compluribus iudiciis è .38. cap. Gene. aperte liquet. Et pręcipue ex eo q̄ post interitum duorum filiorum, scriptura dicit eum timuisse, ne si copularet tertium ipsi Thamar, & iste quoq; moreretur, sicut & frater eius. Metuebat ergo tertium tradere coniugio Thamar, quia putabat huius fœminę complexibus priores periisse, nesciebat enim q̄ ob eorum scelera, deus occidisset vtrūq;. Quamobrem & quis non intelligit, eum aliqua causa coactum, vt sponderet nihilominus tertium filium vxori fratrum defunctorum? Spopondit autem quemadmodum ex ipso textu dilucidū est. Dixit enim Iudas Thamar nurui suę. Esto vidua ī domo patris tui donec crescat Selach filius meus. Sic enim appellabatur tertius ille filius, qui tum vnicus Iudę fuerat. Quis ergo Iudam credat, hunc tertium & eundem vnicū filiū suū, tanto voluisse exponere discrimini, si nō vehementi quadam vrgeretur causa? Et ea certe non alia fuit q̄ traditio patrum, quæ legis, tametsi nō scriptæ, vigorem habebat. Inoleuit enim à patribus cōsuetudo promanans à legibus per deum Abrahæ datis, qua fratres vxores fratrum, qui sine liberis fato concessissent, acciperent in coniuges. Nā haud dubie, nisi lex talis Iudam adegisset, is nunq̄ tertium filium spopōdisset, ne similis interitus, filio tum vnico, contingeret, qualis ante duobus fratribus prioribus vsu venit.

HIS ACCEDIT ꝙ ſimilibus propè verbis vſus eſt, his quæ in lege habentur Deuteronomica. Dixit enim vt in eodem refertur, ad ſecundum eius filium, priore ſine liberis defuncto. Ingredere ad vxorem fratris tui, & ſociare illi, vt ſuſcites ſemen fratri. An non Deuteronomica lex, eiſdem fermé lata eſt verbis? Sic enim iubet Moſes, vt ſi fratrum vnus abſq; liberis mortuus fuerit, alter eius vxorem accipiat, vt ſuſcitet ſemen fratris ſui. Propter quod & interpretes affirmant legem talem in conſuetudine patribus fuiſſe, priuſq̃ per Moſen fuiſſet lata.

ADDE QVOD Thamar poſteaq̃ diuulgatum fuiſſet eam ex alio concepiſſe quã Selach, cui iure conſuetudinis debebatᷓ, ignibus adiudicabatᷓ, velut adultera. Quod ſi nulla fuiſſet talis conſuetudo, quæ legis vigorem obtinuit, longiſſime diſtaſſet eius facinus ab adulterio, nec debuit adeo ſeueriter ignibus adiudicari.

PORRO ꝙ eſſent inter Selach Thamarq; ſpõſalia, palã eſt ex ipſo textu. Poteſt enim pater pro filio ſpõdere. Quãobrẽ & Iudas nurui ſuę Thamar dixit. Eſto vidua ĩ domo patris tui, donec creſcat Selach filius meus: per idẽ ac ſi dixiſſet. Nõdũ aptus eſt Selach nuptiis, vt tradã eũ tibi. Sed vbi pubertatis annos exceſſerit, id fiet. Interea viuas in ędibus patris tui. Cui qđẽ ſpõſioni, ſcriptura teſtatᷓ illã cõſenſiſſe. Nã dicit eã iuxta Iudæ pręceptũ abiiſſe & habitaſſe in domo patris ſui.

POSTREMO ꝙ fornicationis culpã Iudas ſibiipſi potius imputarit q̃ Thamar, planè iudicat tertium eius filiũ lege fuiſſe ipſi Thamar debitum. Nã ita Iudas re cõperta, dixit de Thamar. Iuſtior me eſt, quia non tradidi eam Selach filio meo. Intellexit enĩ ſe potuiſſe vitare lapſum Thamar, ſi citius pro vt lege tenebatur coniunxiſſet eã filio ſuo. Ex his igitur

clariſſi-

clarissimum est ꝙ temporis illius cōsuetudo ligabat fratres, quatenus fratrum vxores, qui sine liberis obiissent cōiugio sibi copularent. In cuius rei corroboratione plures hic autores citare queo, ni prolixitatis tędio vererer grauare lectorē.

SED HIC obiiciunt nobis nescio quid ex opere imperfecto quod dicunt esse Chrysostomi, Thamar fuisse virginem, & non carnaliter cognitam à duobus illis Iudæ filiis. Nos vero licet paucis refutare possemus, opus hoc non esse Chrysostomi, quandoquidem & eruditorum calculis adulterinum & nothū iudicabatur, tum propter stili dissonātiam, tum propter apochriphum, quod ibi de reuelatione per angelum ipsi Iudæ, facta traditur, tum ꝙ contraria quædam in opere dicta sunt. Licet, inquā, testimoniū ex hoc libro sumptum ob hæc repellere facile possemus, respondemus tamē ꝙ id testimonium nobis neutiꝙ̄ aduersatur. Quid enim si Thamar fuisset virgo, quum hoc Iudas ignorarit. Putabat enim eam fuisse corruptam, quod & Chrysostomus ibi confitetur. Hæc, inquit, ita de filiis gesta, cum nesciens Iudas diu lamentaretur, pœnitens quia nephādum opprobrium cum nuru sua, vt putauit fecisset ī Israel. Ecce dicit Iudā nesciisse de filiis hæc ita gesta, nempe ꝙ à deo puniebantur propter seminis effusionē, & putasse per eorum amplexus Thamar vere nurum suam effectam. Quare palàm est Iudam non ideo, secūdū filiū dedisse Thamar ꝙ ipsa virgo fuisset & incorrupta, quū hęc ille prorsus nesciisset, nihil igit̄ eis Chrysostomus hoc loco proderit ad infirmādū istud exemplum.

CAETERVM ꝙ non sit opus pluribus exemplis docere factum, ꝙ fratres ita relictas fratrum, quum absꝗ liberis decessissent acceperint, vel ex eo liquet in libro Ruth, asseritur eiusmodi morem & consuetudinem antiquitus fuisse,

vt proxi-

vt proximus de sanguine relictā cognati sui acciperet in cōiugem, alioqui discalciaretur. Id quod in probrum & dedecus eius factum est, ꝙ noluisset suscitare semen cognato suo.

PROHIBITIONES LEVITIcas non esse vniuersaliter intelligendas.

NVNC IGITVR quum sit abunde monstratum legem illam Deuteronomicam præceptiuam esse, non pmissiuam solum, & ꝙ de germano fratre, vel alio quouis qui tum superstes erat magis propīquo accipiendam simul, & clarissimis exemplis ostēsa est ipsius legis executio, reliquum est vt de prohibitionibus Leuiticis quibus aduersarii mordicus insistūt aliquid dicamus. Ostēdemus & has haudquaꝗ̄ vniuersaliter intelligi debere, ꝗ̄ꝗ̄ vniuersaliter enunciatæ fuissent. Quam rem & agemus primum, autorum testimoniis, quæ sanè possumus innumera proferre, qbus omnino fides maior adhibēda est ꝗ̄ nudis aduersariorū asseuerationibus.

AVGVSTINVS.

DIVVS imprimis Augusti, vir acerrimo ingenio, neꝗ̄ minori scripturarum eruditione de prohibitione Leuitica disserens, qua prohibetur frater vxorem fratris ducere docet eam tripharlam intelligi posse, hoc est aut de viui fratris vxore, aut de vxore quam ante repudiarat frater, aut de fratre qui decesserit absꝗ̄ liberis. Sed Augustinum ipsum audiamus quæstione.61.super Leuiticum.

PRIMVS SENSVS.

TVRPITVDINEM, inquit, vxoris fratris tui non reuelabis. Turpitūdo enim fratris tui est. Quęritur vtrū hoc viuo fratre an mortuo sit prohibitum, & non parua quęstio est. Ecce primum sensum quem huic prohibitioni tribuit Augustinus. Et dicit haud paruā esse quæstionē, an de viuo

C fratre

fratre, an de mortuo prohibitio ista lata sit. Certe si non parua quæstio sit, oportet habeaᵗ plurimũ ambigua. Neutrãq; partẽ posse faciliter oppugnari. Quare si quis tueri velit sensum hunc de viuo fratre, posset hoc ipsum inuincibiliter facere. Obiicit nihilominus Augustinus pro contrario sensu, verumadmodum debiliter. Si dixerimus, inquit, de viui fratris vxore loquutã scripturam, vno generali præcepto, quo prohibetur homo ad vxorem accedere alienam, etiam hoc vtiq; continetur. Sed hæc obiectio parum efficax est, quum inter easdem Leuiticas prohibitiones, quædam peculiariter & nihilominus generaliter prohibita sunt. Exempli causa. Generalis quidem prohibitio est. Turpitudinẽ sororis tuæ, ex patre siue ex matre, quæ domi vel foris genita est, nõ reuelabis. Quare nihil oberit illa obiectio. Sed istas obiectiones alibi pluribus confutauimus.

SECVNDVS SENSVS.

QVOCIRCA veniamus ad secundũ sensum quẽ subdit vbi pro altera parte ratiocinaᵗ. Sed rursus, inquit, si fratre mortuo intellexerimus prohibitum esse ducere fratris vxorem, occurrit illud q̃ excitandi seminis causa, si ille sine liberis defunctus esset, iubet scriptura esse faciendum. Ac p hoc collata ista prohibitione cum illa iussione ne inuicem aduersentur intelligenda est. Exceptio, idest nõ licere cuiq; defuncti fratris vxorẽ ducere, si defunctus posteros dereliquit. En alterum huius prohibitionis intellectum nempe q̃ prohibitio illa tantum se extendit ad vxorem defuncti fratris qui liberos post se reliquit.

TERTIVS SENSVS.

ADIICIT & his tertium sensum Augustinus cõtinẽter subdens, Aut etiam istud esse prohibitũ, ne liceret ducere fratris vxo-

tris vxorem, etiam si à fratre viuo per repudium recessisset, hoc est q͏̄ non generaliter fraternæ coniugis nuptiæ prohibeantur, sed eius coniugis quæ pridem à fratre fuisset repudiata. In summa negat Augustinus hanc prohibitionem generaliter accipiendã esse.

QVANDO igitur nullus horũ sensuũ nobis aduersat palàm est nihil officere nobis prohibitiões ipsas Leuiticas. Quin & hoc protestamur, nos arctari nolle ad aliquẽ vnum istorũ sensuũ, cum nullus eorũ sit, qui nõ defendi facile queat ab erudito quouis. Sicut enim Augustinus recensitis tribus modis, quib⁹ impia Fausti obiectio, cõtra genealogiã Christi dilui posset, dicit se nolle astringi ad aliquem vnum eorundem. Sic & nos hoc loco protestamur, nolle nos coarctari, ad aliquẽ vnum istorũ modorum, quibus limitatã ostendimus Leuiticã prohibitionẽ. Sed & quisquis aliquẽ istorũ sensuũ approbat, eũ pro nr̃a parte militare cẽsemus. Nã is palã indicat ꝓhibitiones Leuiticas vniuersaliter intelligi non debere. Quũ igit̃ aliis autorib⁹ aliũ placere sensum aduertamus, oẽs in mediũ ꝓferem⁹, vt planè iuxta sentẽtias oĩm ꝑspicuũ fiat Leuiticas ꝓhibitiões haudquaq͏̄ generaliter intelligi debere.

RODVLPHVS FLAVIACENSIS.

PRIMVM illum ab Augustino sensum traditum Rodulphus Flauiacẽsis vir in scripturis exercitatissim⁹, q & ꝓlixos in Leuiticũ ędidit Cõmẽtarios, nõ semel approbat. Turpitudinem, inquit, vxoris fratris tui nõ reuelabis, quia turpitudo fratris tui est. Quod tamẽ de fratre viuẽte intelligẽdũ est, cũ lex alibi pręcipiat. Si quis mortuus fuerit nõ habens filios, vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo.

ECCE HIC prorsus affirmat de fratre viuo accipiendum. Rursum, Sororem, inquit, vxoris tuæ in pellicatum

illius non recipies,nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente. Quod superius de duobus fratribus,ne vnam acciplant dum aduiuunt vtrique, hoc nunc de duabus præcipit sororibus,ne vni nubant vtraque viuente, nec duorum ergo fratrum,si primus defunctus fuerit vni mulieri, nec duarum sororum si prima obierit vni viro nuptias contradicit. Et hic planè docet particulã hanc viuo fratre subintelligẽdam, quemadmodũ & Moses de sorore vxoris dicit, ipsa viuente.

POST HAEC subdit, Cum vxore proximi tui non coibis, nec seminis commixtione maculaberis. Cum cõsanguineis aut consanguineorum coniugibus, si coeat quis incestus dicitur, Cum vxore vero proximi adulterium. Sed de marito viuente hoc accipiendum est, Alioqui si mortuus fuerit vir mulieris, soluta est a lege viri. HAEC Rodulphus ille cap.quarto lib.decimotertio.

ET HIC ostendit, quod sicut in prohibitione vxoris proximi, subauditur ipso viuente, sic & in prohibitione vxoris fratris, subaudiri debet fratre viuente.

HVIC subscribit Petrus Blesensis Archidiacon9 vir eximie doctus & acerrimi iudicii, vbi de gradib9 affinitatis disserit epistola.116.tandem ita concludens. Sanè in primorum parẽtum coniugio, duæ tãtum personæ præ raritate hominum,pater & mater videlicet a lege coniugali exempti sunt. Vbi dicitur, propter hoc relinquet homo patrem & matrẽ, & adhærebit vxori suæ. Idest nec patri filia nec matri filius matrimonialiter adhærebit. Processu tẽporis excepit legislator matrem nouercam, sororem, neptẽ, amitam, materterã, vxorem patrui, nurum vxorem fratris, subaudi viuentis.

DRVTHMARVS.

CHRISTIANVS etiam Druthmarus cuius & ante memini-

meminimus, in Euangelium Matthęi scribens ita dicit. Eam prohibitionem intelligi debere viuo fratre. Sic enim ait. Herodes enī tenuit Ioānē. Adduxit eū de deserto, vbi fuerat, & relegauit Macherōto in carcere, propter Herodiadē vxorē fratris sui, iā fuerat fratris sui, sed tunc nō erat: dicebat enim illi Ioannes. Non licet tibi habere eam, scilicet viuente fratre.

HVGO CARDINALIS.

HVC ACCEDIT & Hugo Cardinalis in Cōmentariis Matthæi, sic eiusdem Euangelistæ verba recensens. Dicebat enim illi Ioannes. Non licet tibi conuerso ad legem Iudæorum habere eam, fratre adhuc viuēte, quia lex prohibet hoc Leuitici.18. Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, sed frater superstes debebat suscitare semen fratri suo defuncto sine semine, Deuteronomii.25. Vult igitur Hugo Cardinalis ꝓhibitionē ipsam Leuiticā intelligi fratre viuo.

AVTOR GLOSSAE INTERLINEARIS.

SED ET autor glossæ Interlinearis in Matthæum super eisdem verbis. Nempe dicebat illi Ioannes. Non licet tibi habere eam, adiicit, fratre adhuc viuente, mortuo enim nō prohibebat lex. En fratre viuo lex Leuitica duxit illicitum vt qs vxorē sui fratris duceret. At mortuo frē, non fuit illicitū, qa lex, vt ait, nō prohibebat. Quare neq; secūdū hūc ꝓhibitio illa Leuitica fuit generaliter accipiēda, sed spetiatim frē viuo.

ALEXANDER DE HALES.

HIS ASSENTITVR Alexāder Halensis qui propter iudicii sinceritatem, autor irrefragabilis appellatur. Is parte secūda, suæ summæ quęstione.169. Membro quarto. quęrit vtrum fuerit licitum tempore legis, ꝙ duo fratres eandem acciperent. Et citat in vtrāq; partem scripturas, alteram ꝙ non sit licitum ex Leuitici.18. Turpitudinem vxoris fra-

tris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est. Alteram ꝙ liceat ex Deuteronomii.25. Si quis absq; liberis mortuus esset, præcipit dominus, vt frater defuncti vxorem eius accipiat. Tandemq; respondit ad hunc modum. Dicẽdum est ꝙ illud quod in lege dicitur, ꝙ nullus accipiat vxorem fratris sui, intelligitur ipso viuente. Vna enim lex per aliam explanatur. HAEC ALEXANDER.

BONAVENTVRA

CONSENTIT illi discipulus eius Bonauẽtura.39. dist. 4.ar.2.quęstio.quarta, qua quęrit de personarum illegitimitate. Vbi & respondet in hunc modum, dicendum ꝙ illegitimitas personarum ad matrimoniũ est duplex, vna est secundum naturam, & institutionem diuinam, vtputa ꝙ filius nõ contrahat cum matre, neq; pater cum filia. Item ꝙ alligatus vxori nõ ducat aliam, vel etiam in gradibus diuina lege prohibitis. Leuitici.18. vt dicunt iurisperiti. vbi prohibetur secundus gradus. Et hæc illegitimitas astringit fideles, & infideles. Et si in tali illegitimitate cõtrahitur matrimoniũ apud infideles, soluitur cum veniunt ad fidem. Quia vt dicit Ambrosius. Quod extra dei decretum factum est, non est putandum matrimonium, sed cum cognoscitur emendandũ. Vnde si Iudæus contrahat cum sorore in secundo gradu, ad fidẽ veniens ab ea separatur. Si autem contraxerit cum vxore fratris, quia hoc est in lege cõcessum minime separatur. Alia est illegitimitas ex constitutione ecclesiæ, vt sunt personæ infra quartum gradum. Et hæc non arctat infideles.

EN AVDIS Lector ꝙ illegitimitas in gradibus diuina lege prohibitis astringit fideles, & infideles. Neq; istud simpliciter asserit, sed vt dicũt, inquit, iurisperiti. Et ꝙ Iudęus q cõtraxit cũ vxore frĩs veniens ad ecclesiã nõ debet separari.

Seperan-

Separandus tamē esset, si cōtractus iste cōtinetur sub Leuiti-cis prohibitionibus. Quocirca manifestum est hoc autore nuptias fratris cū vxore fratris defuncti nō esse diuino iure prohibitas. SED ISTVD apertius fiet ex postremi ar-gumēti solutione. Sic enim obiecit apud infideles. prophanū est vxorē fratris accipere in vxorē. Sed nouiter cōuersus de-bet se fidelibus cōformare. Ergo debet hmōi matrimoniū reputari prophanū. Ad hanc obiectionē ita respōdet. Ad id quod obiicitur, ꝙ prophanū est vxorē fratris ducere in vxo rem vel etiā habere, dicendū ꝙ hoc verū est propter ecclesię mandatū, quo qa iste non astringitur, nō debet illud coniu-giū reputari prophanū. Vnde iste ex quo venit ad fidē, alli-gatur vt amplius nō cōtrahat cōtra ecclesiæ statutū. Si tamē cōtraxit nō debet solui, nec tenetur dimittere, quia ad ipsum nō se extendit institutio ecclesiæ. HAEC Bonauentura. EX QVIBVS apertissimū est hunc sensisse nuptias cū vxore fratris defuncti, nequaꝙ fuisse diuino iure ꝓhibitas.

IOANNES SCOTVS.

ADIICIT istis Ioannes Scotus acutissimus quęstionū exagitator, ꝙ diuino iure, nulla prorsus affinitas, hoc est ra-tione affinitatis impediat matrimoniū. Nā in.4.dis.41.quę-stio. de affinitate dicit, ꝙ ratio cur affinitas simpliciter impe diat matrimoniū, nō est alia nisi statutū ecclesię, illegitimātis affines. Ex q̄ dilucide consequitur, ꝙ affinitas inter fratrē & vxorem fratris, nullum præstat impedimētū fratre mortuo. Quocirca neq̄ prohibitio Leuitica iuxta Scotū quicq̄ ob-sistit, quo minus defuncti fratris vxorē frater ducere queat. PORRO statutum ecclesiæ quū sit ab hominibus ordi-natum, nemini dubiū est, quin cū eo Pōtifex valeat dispēsa-re. Arbitratur itaq̄ Scotus Mosaicam legem in hac re nihil

Christianos obligare, nisi quatenus esset à Christo corroborata, vel per ecclesiam de nouo instituta.

OBIECTIO QVAEDAM.

SED HIC IOANNI Scoto fortassis obiiciẽt, affinitatem quę est cuiq; cum nouerca sua. Nam cum ea sit vxor patris, non licebit filio coniungere illam sibi. Vetat enim id Leuitica prohibitio dicens. Turpitudinem vxoris patris tui nõ reuelabis. Et rursum in Deuteronomio scriptum est. Non accipiet homo vxorem patris sui, nec reuelabit operimẽtum eius. Ad hæc & Paulus Corinthium illum Sathanę tradidit, ad interitum carnis, q vxore patris abusus fuisset.

AT HIC Scotus facile respõdebit præceptum illud hodie vigorem suum seruare, non ratione affinitatis, quæ contracta est inter filium & nouercam, sed ratione alterius præcepti, quo mandatur honor esse patri deferẽdus, dehonestat enim patrem quisquis abutitur eo vase quo pridem vsus fuerat pater, atq; ob istud non licet filio nouercam contingere, vel patre mortuo.

SED ET fortasse responderet illas prohibitiones intelligendas esse viuo patre. Nam ipso mortuo non rarum fuit apud alias nationes, vt filius nouercam duceret. Quare nec Paulus, si de mortuo patre fuisset loquutus, non dixisset talem abusum, nec inter gentes auditum fuisse.

Quum enim gentium complures nationes, quemadmodũ historiis proditum est, hanc vsurparint consuetudinẽ, vt patrum vxores ducerent, non affirmasset certe Paulus, talem abusum nec inter gentes auditum. Corinthius igitur ille, de quo loquitur Paulus, id flagitii patrauit, adhuc viuente patre, quemadmodum & Ruben fecisse traditur viuẽte Iacob, & Absalon viuente Dauid. Sic enim ad Ruben Iacob moriturus

turus dixit. Non crescas quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Et de Absalone quoq; scriptum est, ꝙ iuxta consilium Achitophelis ingressus fuerat ad concubinas patris sui adhuc viuentis, neq; istud dicimus ex nostro capite. Verum Sedulius grauis autor in priorem epistolam ad Corinthios hoc testatur. Nam ipsum facinꝰ quod ille Corinthius cum nouerca sua perpetrauit Sedulius aperte vocat adulteriū. At adulterium nequaq̃ fit nisi viuente viro. Quocirca, viuo iam patre suo, Corinthius ille nouercam accepit, neq; Sedulius solus hoc dicit, verumetiam Petrus de Tharentasia, simul & Kilvvarby super Commentariis eiusdem epistolæ confirmant idipsum dicentes, illum Corinthium eodē genere peccati peccasse, quo peccauit olim Rubē patriarcha. Quamobrem & patre viuo Corinthius ille nouercam accepit, sicut & Ruben viuente adhuc Iacob patre suo cubile patris sui ascendit. Sed quid autores huc cito, quandoquidem ipse Paulus suis ipsius verbis rem hanc testatur apertissime. Sic enim de Corinthio illo pariter & eius patre tradit. 2. ad Corint. 7. Scripsi vobis nō propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est. Quibus verbis dilucidum est vtrunq; fuisse superstitem, & eum qui rapuit nouercam à patre, & patrem à quo rapta fuit quiq; tam insignem passus est iniuriam, palàm igitur est, ꝙ viuo patre Corinthius ille nouerca fuisset abusus. Quare nihil aduersum nos facit Paulus. Adde ꝙ cum aliis gentibus, tum & Persis in morem fuit defunctis patribus nouercas ducere. Quam rem etiam prætter historicos, Augustinus in quæstionibus Leuiticis testatur, dicens. De his ergo personis loqui videtur, quæ possent non habentes viros in matrimoniū conuenire. nisi lege prohiberentur, sicut fertur esse consuetudo.

PERSARVM. Quibus verbis Augustinus insinuat, fœminas illas de quibus loquitur Moses, postquam viri earũ mortui fuerint nubere posse, iuxta Persarũ consuetudinem, si nõ Mosaica lege prohiberent. Quocirca nec talis affinitas quicquam impedit, nisi quatenus à Christo corroborata sit, vel per ecclesiam de nouo instituta.

FRANCISCVS MARO.

POST SCOTVM, sequutus est Franciscus Maro, qui libro quarto Sententiarum dist. 41. quæstionem de Affinitate ventilans, num ea matrimoniũ impediat, pro vtraque parte scripturam producit, alteram ex Deuteronomii. 25. qua tenebatur. vt dicit, frater fratris vxorem iuxta legẽ accipere, In contrariam partem recenset ex verbis Baptistæ, Lucę. 3. Coarguentis Herodem, quod sui fratris vxorem accepisset. Respondẽs igitur ad quæstionẽ quattuor tẽpora distinguit. Et dicit primum quod in linea transuersali, tempore legis naturæ, nullum affinitas matrimonio præstitit impedimentũ. Quã conclusionẽ probat exemplo Iudæ, qui Thamar dedit vxorem duobus filiis alteri post alterum. Addit insuper quod tẽpore legis scriptę pręcipiebatur, vt frater suscitet semẽ fratris & accipiat eius vxorem. Tertio dicit, quod pro tempore primitiuę ecclesiæ, non videat, quid affinitas impediat, nimirum ideo, quod nondum fuerat aliquod ius positiuum institutum.

POSTREMO dicit quod nunc adiectis in hac re per ecclesiã prohibitionibus, affinitas omnino matrimoniũ impediat.

HACTENVS MARO.

CONVENIT igitur cũ præceptore suo Ioãne Scoto, quod hoc tertio tempore nempe post institutionẽ ecclesiæ, solũ affinitas impediat, & non sub aliquo priorũ. Quocirca mortui fratris vxorem fratri semper iuxta istos ducere licuit.

VVendel.

VVENDELMVS IN SVPPLEMENTO.

SVBSCRIBIT HIS autor supplementi Gabrielis, in quarto. 41. dist. quæstio .1. dubium istud proponens. An impedimẽtum affinitatis, sit de iure diuino, positiuo, aut ecclesiæ statuto. Cui respondet ad hunc modum. Affinitas est impedimentum matrimonii duntaxat ex ecclesiæ instituto, affines ad matrimonium in certis gradibus illegitimante. Ex quibus uerbis aperte colligitur ꝙ mortui fratris vxorẽ, fratri ducere non est diuino iure prohibitum.

ALBERTVS COGNOMENto Magnus.

ALBERTVS insuper cognomento magnus, in Commentariis Marci. Vbi Ioannes Herodem reprehendit, ꝙ acceperit Herodiadẽ, vxorem Philippi fratris sui. Quia illam, inquit, adhuc viuente Philippo duxerat Herodes, quod secundũ legẽ erat morte plectendũ crimen, Deuteronomii. 22. Qui duxerit vxorem fratris sui, rem facit illicitam, vterq; moriatur, post mortem quidem fratris, potuisset duxisse, vt semen fratri defuncto suscitaret, sicut dicitur Deuterono. 25. Ecce dicit licuisse Herodi post mortẽ Philippi fratris sui illam ducere. Quare cẽsuit Albertus prohibitionẽ ipsam Leuiticam, de non ducenda fratris vxore intelligendam esse fratre viuo. Porro super Matthæum rationem naturalem affert legis Deuteronomicæ, docens esse naturæ consentaneam. Nam primo recensita lege Deuteronomica, subiicit rationem legis. Legis, inquit, ratio fuit distinctio hæreditatum, & memoria patrum, quam in filiis voluit remanere dominus. Et ideo præcepit, vt suscitaretur semen fratri defuncto. Postea legem ipsam explicat. Si quis mortuus fuerit in hæreditate sua, non habens filium, vel filiam hęredem,

heredem, Sicut patet de filiabus Salphaad, Numeri.27. quia per filiam potest suscitari nomen eius, sicut per filium vt ducat frater eius non vterinus semper, sed propinquior genere sicut Ruth tertio de Booz qui duxit Ruth vt suscitet semen fratri defuncto. Videtur ex modo loquendi significare, hoc quod dicunt naturales, quia q̃uis semen adeo non sit efficax ad fœcundãdum, tamen est efficax ad alterandum qualitates matricis. Et ideo mulier ex secundo marito, generat sæpe partum similem marito priori, si non magnum tempus interponatur inter viduationem primi, & concubitum secundi. Et hoc importat quando dicit suscitet. Quia in se sopita qualitate matricem infecit, & ex secundo fœcundante suscitatur, vt qualitates imprimat partui, quæ ex ipso in matrice remanserunt, q̃uis ipsum semen effluxerit. Signum autem huius est, ꝙ si leprosus coeat cum muliere, & si sanus cito post coeat cum eadem, sanus efficitur leprosus, eo ꝙ matrix qualitatibus corrupti seminis infecta sit, Hoc à patribus ante legẽ seruabatur. Vnde Gene.38. Filii Iudæ acceperunt successiue Thamar, vt vnus alteri semen suscitaret.

HAEC ALBERTVS.

IN QVIBVS verbis docentur, quæ non parũ ad institutum nostrum faciunt, Hoc est tam ratio legis q̃ exempla de filiabus Salphaad, & de Booz ac Ruth, atq; de filiis Iudæ & Thamar. Quodq; lex Deuteronomica diu ante Mosen obseruabatur. Et ꝙ eadem non solum de fratre vterino, sed etiã de quolibet propinquiori sanguine debeat intelligi. POSTREMO ꝙ lex ipsa natura consentanea sit, vt pluribus argumentis ibi declarat. Et eadem apertius in Lucam explicat vbi rem eandem tractat.

QVAMOBREM & iuxta prædictos autores omnes

nullum

nullum fuit diuini iuris impedimentum in matrimonio isto de quo iam agimus, sed humani iuris dũtaxat, cum quo, citra quãuis difficultatem Pontifici licuit dispensare.

SED IAM ad alterũ Augustini sensum accedamus. Vbi nec desunt autores plurimi, qui sensum ipsum comprobant. Nempe ꝙ Leuiticæ prohibitiones, haud quaꝗ̃ extendãtur ad vxorem fratris absq; liberis mortui.

IOANNES CHRYSOSTOMVS.

ET HIC Chrisostomus imprimis occurrit qui super Matthæum ita scribit. Quoniam multos opinor, criminis causam vnde cædes aborta est ignorare, operęprecium duco, id nunc dicere, vt legũ latoris prudentiam videatis. Quę nam erat ergo prisca illa lex, quam Herodes conculcabat & Ioannes vlciscebatur? Si quis absq; liberis obierit, fratri eius vxor sua detur. An quoniam nullo solatio mors mitigabatur, & pro vita omnia facere licebat. Lex promulgata fuit vt frater viuẽs mortui fratris vxorem ducat, & fœtus inde procreatus defuncti nomine appellaretur, ne dom⁹ scilicet illius omnino corrueret. Nisi enim liberos defunctus reliquisset, quæ res maxime mortis consolatio est, intollerabilis luctus, atq; inextinguibilis fuisset. Idcirco tale solamen conditor legum excogitauit, & nasciturum eius nomine vocari præcepit, Cum vero liberi erant defuncti nullo modo tale matrimonium procedebat. Sed cur nã ita inquies? Nã si alii vxorẽ defuncti ducere licebat, nonne multo magis fratri? minime. Voluit enim latius affinitates euagari, vt multis modis inter se hõies vincerentur. Quare igitur nõ alius esse, ꝗ̃ frater, sine liberis defuncti vxorem ducebat, quia eo pacto nequaꝗ̃ defuncti fœtus putaretur. Nũc autem si frater generaret, probabilis animos hominũ occuparet cautio, ꝗ̃uis & alioquin nulla

nulla necessitate alius vrgebatur defuncti domum restituere, quod à fratre iure ꝓpinquitatis postulabatur. Quoniam igitur Herodes vxorē fratris, cuius filia viuebat, duxit, hac de causa Ioannes criminatur.

HIC HABES Lector ex Chrysostomi sententia cur Ioannes criminatur Herodē, nimirū ideo, ꝙ quum Philippus frater eius prolem reliquisset. Herodes tamen illius accepisset vxorem, nō autē fuisset eū criminatus, si prolem nullam reliquisset. Putabat enim Chrysostomus Philippū tūc fuisse mortuum. Atq; ob id si prolem nullam habuisset, bene licuisse Herodi vt duceret vxorem ipsius, neq; Leuiticam prohibitionem quicꝗ obstetisse.

HABES etiā ꝙ lex Deuteronomica fuisset instituta ī solatium mortis, vt p eā esset mori spes ꝑpetuādi noīs & familię.

THOMAS AQVINAS.

SVBSCRIBIT illi diuus Thomas nā in prima secundæ. Postꝗ vniuersam legē veterē in moralia, ceremonialia, iudicialiaq; diuiserit, atq; de moralib⁹ & ceremonialibus copiose disseruerit, veniens tandē ad iudicialia quæst. 105. ar. 4. Quęrit an lex vetus, iudicialia p̄cepta cōuenienter tradiderit circa res domesticas? Vbi inter cętera argumēta septimo loco sic ratiocinať. Dominus in vxoribus ducendis, quosdam cōsanguinitatis & affinitatis gradus p̄cepit esse vitandos, vt patet Leuitici. 18. Inconuenienter igitur mandatur Deuteronomii. 25. Quod si aliquis esset mortuus absq; liberis, vxorem ipsius frater eius acciperet.

HVIC ARGVMENTO postea respōdens, ita subdit. Ad septimum dicendū, ꝙ sicut Chrysostomus dicit sup Matthęū. Quia immitigabile malū erat mors apud Iudęos, qui oīa pro præsenti vita faciebāt, ideo statutum fuit, vt defuncto

functo filius nasceret ex fratre, quod erat quędã mortis miti gatio, non autẽ alius ꝙ frater aut ꝓpinquus iubebatur accipere vxorem defuncti. Quia non ita crederetur is, qui ex tali cõiunctione erat nasciturus esse eius filius q obiit. Et rursum extraneus, non ita haberet necessitatẽ statuere domũ eius qui obierat sicut frater, cui etiã ex cognatione hoc iustum fuerat. HACTENVS ipse Thomas.

VBI VIDES Lector ꝙ ex ipso Chrysostomo rationẽ & causam recẽset diuus Thomas, cur Leuitica ꝓhibitio neutiꝙ extẽdatur ad vxorẽ fratris absq̃ liberis defuncti. Sed talis defuncti frater iubetur vxorem accipere, nimirum ob mitigandũ mortis malum, vt videlicet ita moriturus nonnullã haberet spem perpetuandi sui nominis & familiæ.

NICOLAVS DE LYRA.

NICOLAVS etiam de Lyra bibliorũ interpres, & in scripturis Iudæorũ apprime peritus recensens Leuiticã prohibitionem subdit. Excipitur tamẽ casus, scilicet quãdo frater moritur absq̃ liberis. Tunc enim frater viuens, non solũ potest eã accipere in vxorem, sed etiã tenetur eam accipere. HAEC LYRANVS.

EX QVIBVS verbis dilucidũ est hũc sensisse ꝓhibitionẽ ipsam Leuiticã haudquaꝙ vniuersaliter accipiẽdã esse.

CARDINALIS DE TVRRE CREMATA.

IOANNES etiam de Turre cremata super Decretis.35. quæst.2.&.3. Vbi de consanguinitatis & affinitatis gradibus differit, proponit hanc quæstionem. Vtrum Papa posset dispensare in gradibus cõsanguinitatis diuina lege prohibitis, talem facit obiectionem extra de diuor.cap.Deus. Papa concedit conuersis illius gentis ob infirmitatem eorum, vt matrimoniis cõtractis cum relictis fratrũ vtãtur. Sed matrimonium

nium cũ vxore fratris est diuina lege prohibitum. Ergo, &c.
RESPONDIT huic obiectioni dicens, ꝙ in casu in quo mortuus frater fuisset sine prole, non erat prohibitum lege diuina ꝙ mortuo illo frater eius cõtraheret cum relicta. Et ideo Papa non proprie dispensat, sed præcipit siue cõsentit ꝙ in casu illo, quo non erat prohibitũ maneat. Vnde ait. Si cum fratribus decedentibus sine prole, vt semen defuncti iuxta legem Mosaicam suscitarent cum talibus cõtraxerunt. HAEC ibi. SENTIT itaq; Cardinalis non esse diuino iure prohibitum, vt frater vxorem fratris absq; liberis mortui coniugio sibi copulet.

INNOCENTIVS TERTIVS.

INNOCENTIVS itidem tertius autor eiusdem Decretalis, Deus qui ecclesiam. Si cum ea Decretali contuleris aliam extra de restitutiõe spoliatorum .cap. litteras, manifeste conuincitur eiusdem opinionis esse, videlicet cum vxore fratris absq; liberis mortui, nõ esse diuino iure prohibitas. Nã in cap. litteras, planè testatur Papam non posse dispensare cũ his quæ diuino iure sunt prohibita. Hic autem in cap. Deus. ostẽdit Papam posse dispensare cum nuptiis fratrię. Vbi frater absq; liberis decesserit. Quare necesse est, aut ꝙ sibi cõtradicat, aut ꝙ sentiat hmõi nuptias nõ esse vetitas diuino iure.

ANTONIVS DE ROSELLIS.

CORROBORAT hoc ipsum Antonius de Rosellis in eo opere quo potestati Pontificis pro virili detrahit. Nam post multa sic tandem concludit. Ex quibus, inquit, concludo ꝙ in casibus lege diuina prohibitis in matrimonio ecclesia non dispensat. Et ita dixit expresse textus in dicto cap. litteras de resti. spoli. & expositiones ꝙ nõ oporteat vel nõ expedit positę p glo. in dicto cap. litteras sunt falsę. Et hęc suffi-

ciant de hoc dubio. Ex istis infertur q Papa posset dispensare, vt frater relictam fratris vxorem acciperet, quando frater decessisset sine sobole, quia talis coniunctio iure diuino erat permissa. Et de hoc est casus in cap. fi. de diuorciis. Vbi Papa dispensat cum infideli conuerso, vt retineat vxorem quondam fratris defuncti sine sobole, vt ibi. HIC cernis Lector q ex conferentia duarum illarum Decretalium, nempe, litteras, & Deus qui ecclesiam. Antonius infert q Papa possit dispensare cum nuptiis fratriæ, vbi frater absq; liberis decesserit, nec istud esse contra ius diuinum.

PETRVS COMMESTOR.

PETRVS etiam Commestor, quem & magistrum historiarum vocant, in historia super Leuiticum cap. 24. prohibitiones Leuiticas recensens, Quum ad fratris vxorem venerit, dicit eam habere determinationē, cuius verba subiiciam. In primorum quidem parentum coniugio propter hominum raritatē, solum duas personas exclusit, dominus à coniugio dicēs. Propter hoc reliquet homo patrem & matrem, idest, nec filius matri, nec patri filia copulabitur. Sub lege veró plures excepit, quæ sunt feré .12. Mater, nouerca, soror, neptis, amita, matertera, vxor patrui, nurus, vxor fratris: sed hæc determinationem recipit.

PORRO determinationem quam dicit recipere, posuit in margine, nimirum hanc. Si quis habēs vxorem mortuus fuerit, non suscepta inde prole, frater eius duxit eam, & inde fratri defuncto semen suscitauit.

DILVCIDVM igitur est ex hoc autore, q phibitio Leuitica limitanda sit pro vxore fratris absq; liberis mortui.

VINCENTIVS BELVACENSIS.

VINCENTIVS præterea scribēs historiam Euangelicam

licam concordat cum Petro Commestore eiusq; dictū comprobat, vt nihil opus fuerit illius hoc loco verba citare, quandoquidem per omnia conuenit cum Petro. Quod si praeterea cunctos recentiores huc citare voluero, qui prorsus negant prohibitiones Leuiticas ad vxorem fratris, qui sine liberis defunctus est extendi, magnū certe volumē excuderē. SED QVID recentiores huc afferre necesse fuerit, quum nemo veterum sit, quos ante produximus pro Deuteronomicae legis intellectu, qui non astipulabitur instituto nostro. Nam cum ipsi fateantur, legem illam vere praeceptū esse, & de germano fratre intelligēdum, si quisq; huiusmodi superstes sit necessario cōsequitur, q ad eum prohibitio Leuitica neutiq; extendatur, quandoquidem altera alteri manifeste cōtradicit, nam planè cōtradicunt. Nullus accipiat vxorem sui fratris. Et vxorem fratris absq; liberis defuncti frater accipiet. Quamobrē, & Iulius Affricanus, Hilarius, Origenes, Isichius, Ioannes Damascenus, Chrysostomus, Eusebius, Tertullianus, Iuuencus, Ambrosius, Augustinus, Rodulphus Flauiacēsis, Iosephus, Rabbi Moses Egiptius, Lyranus, Alphonsus, Hieronymus: & si quis alius repertus fuerit, qui cum eisdem sentiat à nostra parte stabunt.

ET HACTENVS pro secundo sensu Leuiticae prohibitionis, quam attulit Augustinus.

DE TERTIO SENSV.

TERTIVM verò sensum haud facile reperio quem quis, q sequit̄ pr̨eter admodū paucos. Hugo tamē Cardinalis enarrās Leuiticā ꝓhibitionē, dicit eā posse intelligi, de vxore fratris viuētis, quā ipse prius repudiauit. Nā eā nō licebat, vt ait, alteri fratri nubere. Et sanè quū hoc alias in lege ꝓhibitum fuisset, qs nō videt & hūc sensum à quis defendi facile posse? Simili-

SIMILITER & Iacobus de Lusanna, ordinis prædicatorii prohibitionem Leuiticam.18.cap.explanans dicit eā posse intelligi, vel de vxore fratris mortui, qui posteros ante suscitauit & reliquit, vel de vxore fratris viuētis, qui prius illi dedit libellum repudii. Nam aliquis, vt inquit, forte crederet, id fuisse licitum, quod tamen in lege prohibetur. Sed & similem prohibitionem quæ traditur cap.20.excutiens dicit. Contrarium huius habetur Deuteronomii.25. ꝙ scilicet frater debet suscitare semen fratris sui. Dicendum ꝙ talē coniunctionē ꝓhibet causa libidinis. Mat.6. Nō licet tibi habere vxorē fratris tui. Sed ibi pcipit̄ lege cognationis, idest, causa prolis, sicut Booz accepit Ruth, lege cognationis. Item hic prohibet̄ ducere vxorē fratris viuētis, & semen relinquētis, vel eā, quā repudiauit. Ibi de fratre mortuo nō habēte prolē.
LINCOLNIENSIS quoq; super Leuiticū eandem affert expositionem, dicēs, ꝙ intelligi potest de vxore fratris viuentis, qui prius illi dedit libellum repudii. Liquet igitur autores, quemcūq; trium dictorū sensuū cōprobent, in hoc consentire, ꝙ Leuiticę ꝓhibitiones limitandæ sunt, & ad peculiarem aliquem sensum interpretandæ. Quamobrem & ī nr̄a parte stāt oēs ante numerati, nobiscūq; cōstanter asserūt ꝓhibitiōes Leuiticas haudquaq̄ vniuersalit̄ intelligēdas esse.

QVARTVM.

QVOD prohibitio ipsa Leuitica sit iudicialis.
POTEST vt diximus ꝓhibitio Leuitica triphariā limitari, hoc est vel viuo frē, vel absq; liberis mortuo, vel de repudiata. Sed quia pauci sunt, qui tertiam istam limitationem sequuntur, de duobus prioribus erit sermo. Si Leuitica igitur prohibitio viuo fratre intelligatur, nemo negare potest quin sit moralis. Sin mortuo frē absq; liberis, planè iudicialis est.

Nam fieri non potest, quin sicut præceptum de accipienda fratris vxore, absq; liberis mortui, sit mere iudiciale, ita et pro hibitio cōtraria erit mere iudicialis. Sicut enim, accipere fratris coniugem absq; liberis mortui, neutiq; repugnat iuri naturæ, vti mox docebimus, ita neq; mortui fratris coniugem, relictis liberis accipere, iure naturæ prohibitum est. Et profecto necessum erit vtrunq; non diuersi, sed eiusdem esse iuris. Paucis ergo docebimus præceptum illud ad honestatē naturæ pertinere. Quo facto colliquescet apertius & prohibitionem ipsam, haudquaq; esse contra ius naturæ. Quum enim præceptum ipsum de ducenda vxore fratris absq; liberis mortui, præceptum dei sit. Deus nihil præcipiat q natura sit inhonestum, planè consequitur hoc pręceptū haudquaq; esse contra meram honestatem naturæ. Minorem huius rationis ita firmabo. Scriptum est Ecclesia. 15. Nemini mādauit deus impie agere, At impium est, quicquid suapte natura est inhonestum. Quare cum hoc pręceperit deus lege publicitus lata, & vni populo satis ingenti, nequaq; est suapte natura inhonestum.

AD HAEC Hieronymus in prologo super Oseam ita scribit. Nos dicimus nihil præcipit deus nisi honestū, nec iubendo turpia facit honesta, quę turpia sunt. Sed scimus nihil deum velle, nisi quod honestum est. Ecce q̄ dilucide Hieronymus asseuerat, deum nihil pręcepisse nisi quod honestum est. Quamobrem & cum deum hoc iussisse clarissimum sit, non solum ex scripturis, verumetiam ex tot non contēnendis autoribus, ex his efficacissime colligitur, id honestati naturæ nihil aduersari.

PRAETEREA si frater vxorem fratris p̄mortui ducere, suapte natura sit inhonestum, consequitur vt sit etiam de

se ma-

se malum. At deus vt ait Augustinus non est autor mali, quare non potuit istud praecepisse deus, quum sit de se malum. HIS ACCEDIT quicquid de se malum est, non potest vllis circunstantiis fieri bonum. At bonum & meritorium fuit, ac premio dignũ vxorẽ fratris ducere absq; liberis defuncti, propter hũc finem, vt suscitaret semẽ fratri suo. Ergo cum hoc fine fuerit bene circũstantionatũ, & bonum euasit, nunq̃ fuit antea de se malum, nec suapte natura inhonestum. Quamobrem nec Leuitica prohibitio, siquidem, istud vetuisset, potuit esse moralis prohibitio.

EXTANT igitur complures autores, qui prohibitionẽ ipsam Leuiticam affirmant esse iudicialem solum, & hodie neutiq̃ obligare Christianos, nisi quaten9 per ecclesiam denuo sit restaurata. Cuius opinionis etiam est is, qui supplementum Gabrielis ędidit.

VVENDELINVS STAMBACHVS.

VVENDELINVS in supplemento Gabrielis, sectator Scoti, dist. 41. 4. quaestio. 1. dissoluens quandam obiectionem, quae fieri potest, ita subdens. Quod autem de iure diuino esse dicitur, quia ĩ scriptura habetur, est improprie dictũ, vt videtur. Habetur quidem in lege diuina non morali, sed iudiciali. Ideo hodie non ligat nisi per nouam institutionem ecclesiae, quę potest dici de iure diuino, alludenter vel exemplate. Quia & ecclesiae constitutio exemplata est in lege Mosaica, & alludit eidem. Hodie verò iudicialia, vt talia nõ ligãt, nisi per nouam institutionem. Et quia non habetur in lege euangelica aliqua noua prohibitio à Christo facta, respiciens obligatorie affinitatis gradus, nec cõfirmatio explicita prohibitiue, cõstitutionis Mosaicae à Christo in lege noua euangelica. Ideo non videtur quomodo sit obligatorie & pro-

prie de lege diuina per consequens, nec Papæ potestate quo ad dispensationis beneficium sublata.

THOMAS

SED NE futilem quis hanc opinionem arbitretur, ostẽdemus eam, compluribus autorum testimoniis esse roboratam. Nam is, quem theologiæ florem eruditissimi vocant. Thomas inquam Aquinas, eas prohibitiones inter iudicialia deputat, quemadmodum & nos ante memorauimus. Et Cardinalis Caietanus, eiusdem Thomæ vigilantissimus excussor, ipsum passum explanat. Sic enim enarrans quæstionem dicit. Ad obiectionem demum tertio loco allatam, ex prohibitione personarum proximarum per præcepta diuinæ legis iam dictum est, ꝙ præcepta illa, quæ ad tot persona rum inhabitationem, sunt iudicialia, non moralia simpliciter, sed secundum quid, sed quantum ad naturalem reuerentiam per accidens, Moses tangit in reliquis personis non violãdam, ex naturali coitus turpitudine. Et ideo hodie non ligant, nisi quatenus ab Ecclesia sunt assumpta. Et propterea potest Papa dispensare cum omnibus personis coniunctis, nisi cum matre & patre, vt matrimonium cõtrahant. Et hoc autor, ex autoritate Augustini insinuat, in littera dicendo, ꝙ coniunctio fratrum & sororũ, non natura, sed religione prohibẽte facta est damnabilis. HAEC CAIETANVS in explanatione Thomæ.

THOMAS ETIAM de Argentina dist. 40. quarti, cõfirmat hoc ipsum ad hũc modũ. Conclusio secũda est, ꝙ homines nõ baptizati, extra Christianã fidẽ degẽtes, pos sunt contrahere matrimoniũ intra gradũ Christianis ꝓhibitũ, quia tales vel sunt Iudæi innitentes legi à dño datę p Mosen, vel sunt gẽtiles innitentes legi naturę, Si sunt Iudæi tunc

possunt

possunt cōtrahere in.3.&.4.gradu.vt patet Leuitici.18.cap. vbi solum p legem ipsis datam ꝓhibentur in primo & secun do gradu.Si gētiles solūmodo innitētes legi naturæ, tūc ma- trimoniū contrahūt in secundo gradu.Quia q̄uis lex positi ua scripta hoc ꝓhibeat, tamen lex naturę hoc non videt̃ pro hibere.Quod bene patuit in antiquis patrib9, qui legē Mo- saicam pcesserūt. Nā Sara vxor Abraham, fuit soror sua ex parte patris.Et Lya vxor Iacob, fuit consobrina sua, quum fuerit filia Laban, q fuit frater Rebeccæ, matris illius Iacob.
ECCE Thomas iste vocat leges Leuiticas, leges positiuas dūtaxat.Nā eiusmodi secundū eum sunt oēs leges Mosaicæ, quæ de iure naturæ nō habent̃. Et propter hoc exēpla duo proponit, alterū Abrahæ, q propriā sororē duxerat.Quod tametsi lege diuina fuisset prohibitū, nō tamē lege naturę, al terū de Iacob, qui duas pariter sorores duxerat cōiuges. Id quod tametsi diuina lex ꝓhibuisset, nō ita lex naturæ.Qua- re, licet istas prohibitiones fateatur esse diuinæ legis, tamen, quia non etiam lege naturę firmantur, ideo iuxta ista ꝑ mo- ralibus præceptis, neutiq̄ꝫ habendæ sunt.
SEQVITVR autē in eadē q̄stione.Preterea si Iudęi vel gētiles intra p̄dictos gradus, non habēt verū matrimoniū, tūc posito ꝙ si aliq infra p̄dictos gradus copulati, ad fidem Christianā cōuerterent̃, ecclesia nō pateret̃ eos esse cōiūctos. Sed cōsequēs est falsum, igit̃ & antecedēs, Cōsequētia patet. Quia in his, q ad fidē cōuertunt̃, ecclesia nō patit̃ adulterina cōiugia.Sed falsitas cōsequētis euidēter habetur, extra, de cō san.& affi.ca.de infidelib9, vbi dicit Innocētius, ꝙ matrimo niū secūdū legē veterē, infra gradū cōsanguinitatis cōtractū post baptismū, nō est separādū.Et idē patet, extra, de diuor. ca.Gaudemus, & ca.Deus qui ecclesiā.Hæc Argentinensis.

EX HIS item verbis docet prohibitiones ipsas Leuiticas, nō iam obligatorias esse, nisi quatenus per ecclesiam institutę sint. Atq; istud, vt cernis Lector, idem nonnullis Decretalibus corroborat. Sed & postea respondens ad argumētum in oppositum, ita subdit. Etiam consanguinitas in gradibus prædictis non impedit matrimonium per se, sed solū ratione statuti ecclesiæ, vel legis Mosaicæ. Nam secūdum legem naturę proles non prohibetur contrahere, nisi cū stipite, sicut dicūt aliqui magni doctores. Quia cōtra omne dictamen rectæ rationis semp fuit, q̄ filia esset vxor patris, vel filius esset maritus matris. Et ideo filiæ Loth peccauerunt cōtra legem naturæ, quando patri suo se supposuerunt. Sed Abraham non peccauit, quando sororem suam duxit, non enim peccauit contra legem scriptam, quia nondum erat lex scripta, quæ hoc postea prohibuit, vt patet Leuitici.18. Nec etiam putandum est, q̄ vir tantæ perfectionis contra legem naturæ peccauerit. Quod tamen vtiq; fecisset, si accipere sororem in vxorem, contra legem naturæ fuisset, quod sicut ipsemet fatetur, Genesis.20. Sara vxor sua fuit, soror sua, filia patris sui. HAEC Argentinensis ille.

VBI ET AVDIS Lector, q̄ cōsanguinitas in gradibus prædictis non impedit matrimoniū, nisi ratione prohibitionis ecclesiæ. Et q̄ magni doctores hoc affirmant, de quibus & nos postea memorabimus. Preter hęc q̄ solæ nuptiæ filii cum matre, seu patris cum filia sunt prohibitæ iure naturæ. Quod insuper Abraham ducendo sororem non peccauit, neq; id fuisse contra legem naturæ, Porro q̄ Sara vere soror Abrahæ fuisset ex eodem patre, licet non ex eadem matre, non modo complures autores testantur, verumetiam ipsa scripturæ sacræ verba. Sic enim Abraham dixisse legimus.

legimus. Vere soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ. Super quibus verbis Hieronymus dicit. Quia in hebræo sic habetur, & magis sonat quod soror Abrahæ fuerit. In excusatione eius dicimus, necdum illo tempore tales nuptias fuisse prohibitas. Scriptura certe nō potuit apertius loqui, quum expressisset Saram, sororē Abrahæ fuisse ex eodem patre, sed diuersa tamen matre. Sed & magister historiarum hoc ipsum affirmat super Genesim, et autor etiam communis glossæ ibidem.
FRANCISCVS insuper Maronis eisdem subscribit locum ipsum Geneseos enarrans.
EVCHERIVS quinetiam Lugdunensis, Archiepiscopus in libello, quem scripsit de quæstionib9 difficilibus, testatur eandem rem ita se habere.

MOSES.

SED QVID VEL huius vel illius Thomæ sententiam affero? quando Moses ipse non semel in ipso cap. Leuitici.18. narrat quædam ibi iudicialia fuisse tradita. Constat equidem apud sacræ theologiæ non imperitos in lege, nec omnia moralia fuisse præcepta, sed iudicialia quoque, & ceremonialia. Nam de tribus istis haud raro Moses meminit. Sic enim scribit Deuteronomii sexto. Hæc sunt præcepta cerimoniæ, atque iudicia, nimirum per præcepta intelligens ipsa moralia, non vtique generaliter vocem illam accipiens, sed ita solum, vt morale distinguitur contra cerimoniale & iudiciale. Nam per cerimonias haud dubie, cerimonialia, & per iudicia, iudicialia Moses voluit intelligi. Quum igitur in ipso cap. Leuitici.18. palàm affirmet ibi iudicia quædam esse tradita, necessum est, iudicialia nonnulla sint in ipso cap. recensita, dicit enim, Ex psona dei facietis iudicia mea. Et rursum

custodite leges meas, atq; iudicia. Et in eodem item. Custodi te legitima mea, atq; iudicia. Quamobrē & manifestum est, Mosen in hoc cap. quædam iudicialia tradidisse. Atqui certum est, in toto illo cap. non alias prohibitiones magis iudiciales dici posse q̃ eas, quæ de vxore fratris, & sorore vxoris latæ sunt. Quocirca pro iudicialibus, & hæ potissimum habendæ sunt.

PAVLVS BVRGENSIS EPISCOPVS.

PAVLVS ERGO BVRGENSIS Episcopus, vir in lege Mosaica doctissimus, dicit non omnia præcepta legis Mosaicæ indispensabilia esse, neq; perpetuo duratura, sed tantum ea, quæ sunt de lege naturæ, quæ & vocat moralia præcepta. Propter quod & duplicem normam in scrutinio scripturarum tradit, quo dinosci potest quodnam præceptum legis Mosaicæ morale fuerit, & quod non. Quorum prius est. Quicquid præceptorum recte deducitur ex primis principiis iuris naturalis, id morale præceptum est, & ad ius naturale pertinens. Verum non sufficit, vt multis & ambagiosis consequutionibus ita deducatur. Nam sic omnia pcepta siue iudicialia, siue cerimonialia, erunt moralia. Quia Moses in his præcipiendis ratione quadā naturali vsus est, neq; quicq̃ à dictamine rationis alienum instituit, sed quod moribus vtentium bonis inseruiebat. Verum non omnia talia sunt præcepta moralia, si morale accipiatur vt distinguitur contra cerimoniale & iudiciale.

NORMA IGITVR VNA est iuxta Burgensem, qua dinoscitur præceptum aliquod esse hoc modo morale. Si quid ex primis ipsis principiis iuris naturalis breuissime

uissime deducatur, altera norma est, qua potest cognosci præceptum non esse de lege naturæ, neq; proinde morale, nempe si ante legis dationem indifferens erat, an sic vel aliter fieri debuisset. Nam quod potuit indifferenter, bene & male fieri, id non fuit morale, neq; de lege naturæ. Et affert exemplum de duabus sororibus, coniunctis vni viro matrimonialiter, prout Iacob legitur habuisse, Genesi. vigesimo nono, quod postea prohibitum fuit in lege Mosaica, vt habetur in Leuitic. Et de huiusmodi dicit manifestum esse, talia non esse de iure naturæ. Neutro igitur istorū modorum colligi potest, omnes prohibitiones Leuitici esse morales, præsertim eas, quæ ad affinitatē spectāt. Neq; enim ex principiis primis iuris naturalis recte deducuntur. Sed & ea, quæ per eas vetita sunt, erant indifferentia ante legis dationem. Nam electissimi quidam viri (priusq; legem tulisset Moses) intra gradus, qui videntur ab eodem Mose prohibiti, vxores duxerant. Sicut Abraham & Iacob, & alii nonnulli. Nam Abraham sororem suam habuit vxorem. Et Iacob item sorores duas habuit in coniuges. Quare palàm est, nec omnes prohibitiones istas morales esse, neq; perpetuas, sed tantum huiusmodi, quæ si non prohibitæ fuissent, bene licuissent omnibus. Nam eius conditionis sunt, q ante legis dationem erant indifferentes, & potuerunt sic & aliter fieri. Quamobrem & mobilia sunt, & nō eundem tenorem perpetuo seruantia.

HVGO VICTORINVS.

CONFIRMAT illius sententiam Hugo de sancto Victore. Nam is affirmat, duplicia fuisse veteris legis præcepta, alia mobilia, alia immobilia. Mobilia vocat ea, quę ex dispensatione ad tempus sunt ordinata. Immobilia verò sunt,

quæ

quę ex natura veniunt, & vel ita mala sunt, vt nullo tempore sine culpa fieri possunt, vel ita bona, vt nullo tempore sine culpa possint dimitti, Quare secundū huius sententiam, quę sunt de lege naturę ea sunt immobilia, hoc est, vel semp bona, vel semper mala, nunq̄ indifferentia, vt possent aliquando bene fieri, aliquando minime.

AVGVSTINVS.

DIVVS Augustinus vtrunq; corroborat, hoc est tam Paulum q̄ Hugonem, Nam in opere, quod ædidit contra duas epistolas Pheligiani ad Bonifacium libro tertio cap. 4. sic ait, Cętera veró quę ad pietatem, bonosq; mores pertinētia, non ad aliquam significationem vlla interpretatione referenda. Sed prorsus vt sunt dicta facienda sunt. Profecto illam dei legem, non solum illi tunc populo, verumetiam nūc nobis ad instituendam vitam recte, necessariam nemo dubitauit. HAEC Augustinus.

TALIA IGITVR quę protinus vt dicta sunt noscū tur esse facienda, non Iudęos modo, verumetiam Christianos omnes ligant, quia perpetua sunt & immobilia, nec potuerunt vnq̄ bene fieri. Quum Abraham, & Iacob, & alii complures contra prohibitiones Leuiticas, vt multi cēsent vxores duxerint, palàm est illas prohibitiones non esse ppetuas, neq; morales, hoc est iure naturę stabiles et immobiles.

THOMAS AQVINAS.

THOMAS igitur Aquinas ex auctoritate Augustini dicit q̄ commixtio fratrum & sororum, nō natura, sed religione prohibente facta est damnabilis. Et in hoc propemodū omnes disputatores conueniunt, q̄ ab initio tantum iure naturę prohibita fuissent coniugia, patris cū filia, & matris cū filio. Nam horum, vt inquiunt, concubitus natura vetat vt debitum,

debitum, & tanq̃ re ipsa prorsus abhominãdum. Cęteri verò gradus non ex re ipsa mali sunt, sed tanq̃ extrinseca quadam consideratione prohibiti. Quemadmodum & Moses, haud raro quędam vocat execranda, pariter & abhominabilia, quę de seipsis nequaq̃ talia sunt, sed tantũ quia ꝓhibita.

HVGO DE SANCTO VICTORE.

SED AVDI Lector quàm luculenter hoc ipsum testatur Hugo Victorinus. Nam is discrimen statuens, inter eas nuptias, quę iure naturæ, & quæ iure positiuo vtebantur dicit. Prima institutio duas tantum personas, idest patrẽ & matrem à contractu matrimonii excepit. Vbi hominem vt adhęrere posset vxori suę, patrem & matrem relicturũ esse, asseruit dicens. Et adhęrebit suę. Manifestum est autem ꝙ nõ requirũtur ad hoc, qui relinquũtur propter hoc. Has ergo duas personas solas prima institutio excepit. In cęteris omnibus nullam vlli ad sacramentum coniugii fœderandũ prohibuit. Venit postea secunda institutio, quæ per legem facta est. Et excepit personas quasdam alias, siue ad decorem naturæ, siue pudicitię augmẽtum. Et tunc cœpit esse ex prohibitione illicitum, quod fuerat ex natura concessum. Hactenus Hugo.

HIERONYMVS ET AVGVSTINVS.

DIDICIT ISTVD Hugo, nimirum ex prioribus patribus, neq̧ enim ignorauit, quem in modum Hieronymus & Augustinus excusarunt Abraham & Iacob. Duxit equidem Abraham sororem suam in vxorem, quemadmodum Gene. 20. traditum est. Nam cum Abimelech illum redarguisset, ꝙ simulatione quadam prætexuisset, Sara fuisse sibi sororem, is respõdit inquiens. Vere soror mea est, filia patris mei est, & non filia matris meę, & duxi eam vxorem, nihil certe potuit apertius dici. Propter quod & diuus Hieronymus

nymus expendens ipsa verba, Gene. ait. Quia in hebræo habetur, Vere soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ. Et magis sonat, quod soror Abrahæ fuerit, in excusationē eius dicimus, necdum illo tempore tales nuptias lege prohibitas. Quod si quis hoc velit intelligi de lege Mosaica duntaxat, non item de lege naturæ, nihil ita proderit excusatio per Hieronymum allata, quandoquidem & lex naturæ, non minus ligat conscientiam cuiusque, quam ipsa lex Mosaica. Quare si pœnitus omni culpa vacasset Abrahā, oportet vt nulla prorsus lege, neque Mosaicæ, neque naturæ, fuisset ab huiusmodi nuptiis prohibitus. Simili quoque modo, beatus Augustinus excusat Iacob, quod sorores duas pariter vxores habuisset, dicens quod Iacob non fecit contra naturam, quia non lasciuiendi, sed gignendi causa, illis mulieribus vtebatur, nec cōtra morem, quia illis tēporibus fiebat illud in aliis terris, nec contra præceptum, quia nulla lege prohibebatur.

AVGVSTINVS.

HVC ACCEDIT quod idem Augustinus, 61. quæstione super Leuiticum, sic ait. De his personis loqui videtur, quæ possent non habentes viros, in matrimonium conuenire, nisi lege prohiberentur, sicut fertur esse cōsuetudo Persarum. Hic aduertendum est, quod dicit nisi lege prohiberentur. Ergo tantum ideo non licet, quod sint Mosaica lege prohibitæ. Quamobrē & ante legem bene licuisset. Adde quod quædam ex illis prohibitionibus, ante legem scriptam erant indifferentes, adeo vt sic, vel aliter fieri potuerunt, præsertim cum ea, qua simul, duæ sorores ab eodem accipi prohibentur, alioqui Iacob, vt de cæteris taceamus, haudquaquam Lyam & Rebeccam simul accepisset. Quare tametsi, lex sacra cognationis turpitudinem vetet reuelare, non tamē omnis co-

gnationis

gnationis gradus ibi prohibitus, ex seipso putari debet illegitimus, sed tantum ideo ꝙ ibi sit prohibitus.

THOMAS AQVINAS.

QVAE RES RVRSVS ex Thoma confirmatur. Nam is secunda secundæ quæstio.154.ar.9.quum hunc in modum obiecerit. Accedere ad consanguineas, vel affines, non est secundum se deforme, alias nullo tempore licuisset, respondet ꝙ in commixtione personarum coniunctarum aliquid est, quod est secundum se indecens, & repugnans naturali rationi, sicut ꝙ commixtio fiat inter parentes & filios, quorum est per se, & immediata cognatio. Nam filii naturaliter honorem debent parentibus. Aliæ verò personæ, quæ non coniunguntur in cognatione, videlicet secundum seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam. Sed variatur circa hoc, decentia vel indecentia, secundum consuetudinem & legem, vel diuinam vel humanam. Ex quibus verbis dilucidum est, ꝙ inter personas illas, inter quas ante legem scriptam fuerat prohibitio, nullo tempore coniugia licuissent, quoniam erat inter eas per se & immediate cognatio. Et tales coniungi semp erat secundũ se indecens, & repugnãs naturali rationi. Verũ in cæteris non ita, sed pro varietate cõsuetudinum & legum non licent, iuxta quod lege, vel consuetudine prohibentur.

ALEXANDER HALENSIS.

PROPTER HAEC Alexander in summa, quæst.55. membro.6. sic ait. Ponuntur autem limites lege naturali, lege diuina, sanctione Ecclesiastica, lege naturali positi sunt limites vt excluderentur pater & mater, Genes. secundo. Propter hoc, relinquet homo patrem & matrem. &c. Lege diuina postmodum Leuitici .18. vt excluderentur non solum

pater

pater & mater, sed frater & soror. &c. vsq; ad vndecim perso nas. Sanctione Ecclesiastica exclusæ aliæ psonæ ratione consanguinitatis vsq; ad quartum gradum.

BONAVENTVRA.

ASTIPVLATVR & his Bonauentura super quartū sententiarum dist. 4. quæstione secunda, ita inquiens. Vinculum consanguinitatis impedit matrimonium in aliquo sui gradu propter dictamen legis naturæ, in aliquo vero propter prohibitionem legis diuinæ, in aliquo propter statutū ecclesiæ vinculum consanguinitatis, quod stipitis ad prolem impedit propter dictamen naturæ. Vnde naturale est apud omnes, ꝙ filius non coniūgatur matri, & ꝙ filia non coniūgatur patri. Et si quęratur ratio huius quare hoc est, dicendū ꝙ est propter reuerentiam & honorem, qui debet exhiberi patri & matri. Et ideo non debent commisceri, vel propter generis successionem, quæ debet procedere non retrocedere. Vnde non debet proles genita coniungi suo principio vt gignat. Et hinc est ꝙ natura dictat ꝙ alio affectu tractandi sunt parentes, alio affectu tractari debent cōiuges. Ideo propter dictamen naturę impeditur matrimonium per consanguinitatis primū vinculū, quæ est prolis genitę ad suū principium, propter prohibitionem legis diuinę impeditur matrimonium per consanguinitatem vsq; ad secundum gradū, sicut patet per Leuitici. 18. cap. Vbi fit prohibitio vsq; ad secundum gradum, Et si quęratur ratio huius, dicendū ꝙ hoc est propter honestatem. Qui enim mulierem cognoscit, reuelat eius turpitudinem, & discooperit ignominiam, & hoc inhonestum est facere propinquę, maxime cū honestas dictat ꝙ soror non est tractanda vt uxor. Et hinc est ꝙ in pręcepto suo dominus dicit. Non discooperies turpitudinē eius.

Vlterius

Vlterius propter statutum ecclesiæ, impeditur matrimoniū à secundo gradu, & deinceps. HAEC Bonauentura.

RICHARDVS.

CONSONAT & eisdem Richardus super .4. sententiarum, distinct.40.ar.1. quæstione.2. sic inquiens, Aliqua consanguinitas impedit matrimonium, ex dictamine iuris naturę, Aliqua ex dictamine legis diuinæ, aliqua per statutum ecclesiæ. Propter dictamen legis naturæ impeditur matrimonium, filiæ cum patre, vel filii cum matre. Vnde & in lege naturæ dictum est, vt habetur. Genes.2. Relinquet homo patrem & matrem, & adhęrebit vxori suæ. Ius enim naturale dictat maiorem reuerentiam deberi parentibus, q̄ coniugibus. Et dictat non sic debere tractari turpiter parentes, sicut se contractant coniuges. Magis tamen est contra ius naturale, matrimoniū filii cum matre, q̄ filię cum patre. Quia vxor debet esse viro subiecta. Contra autem ius naturale est, vt filius teneat matrem subiectam. Vnde & quædam animalia bruta abhorrent coire cum matre sua, q̄diu cognoscunt eam esse matrem. Quod patet per illud quod narrat Philosophus octauo, de animalibus, de camelo, qui cum saltasset super matrem suam coopertam, postq̄ recognouit, eam esse matrem suam, interfecit ingeniatorem. Narrat etiā de equo ibidem, qui cum saltasset super matrem suam, & recognouit eam, postq̄ discooperiebatur, fugit & proiecit se de alto, & mortuus est. Ex dictamine legis diuinæ, prohibentur matrimonialiter copulari, consanguinei in primo gradu & secundo ex vna parte tantum, vt patet Leuitici.18. Cuius ratio est, ne si possent matrimonialiter copulari, daretur incentiuum luxuriæ, eo q̄ tales personæ frequenter solent in eadem domo habitare, per statutum ecclesiæ prohibentur matrimo-

nialiter copulari. Cõsanguinei etiam in tertio & quarto gradu, quia vsq; tunc consueuit inter homines satis durare amicitia propter consanguinitatis vinculum naturæ. Sed post illum gradum cõcedat eas posse copulari ad amicitiam, quasi fugientem reuocandam. Vt sic charitas inter homines dilatetur, eo ꝙ coniux ad consanguineos sui coniugis multum afficiatur.

EX HIS omnibus abunde patet ꝙ ante legem Mosaicam, nulla prohibitio prorsus emanauit de coniugio, nisi patris cum filia, aut matris cum filio, quemadmodum autores ante memorati docuerunt. Quod si Moses, deo iubente, quosdã gradus adiecit, his ex lege diuina positiua duntaxat, nõ autẽ perpetua, constat illorum sententiis adiectos fuisse.

HORVM SENTENTIAM & diuus Thomas approbat. Nam prima secũdæ. Postꝗ̃ vniuersam legem veterem, in moralia, cerimonialia, iudicialiaq; diuiserit, atq; de moralibus, & cerimonialibusq; copiose differuerit, veniens tandem ad iudicialia, quæstio.105.ar.4. Quærit an lex vetus iudicialia pręcepta conuenienter tradiderit circa res domesticas, vbi inter cætera argumenta .7. loco sic ratiocinatur.

DOMINVS IN vxoribus ducendis quosdam consanguinitatis, & affinitatis gradus præcepit esse vitandos, vt patet Leuitici.18. Inconuenienter igitur mandatur Deuteronomii .25. Quod si aliquis esset mortuus absq; liberis, vxorem ipsius, frater eius acciperet.

EX TITVLO IGITVR quæstionis, pariter & argumento palàm est, ex mente doctoris huius esse, ꝙ leges de fratrum vxoribus ducendis, aut non ducendis mere iudiciales sunt, & à moralibus separatę.

SED ET IN corpore quæstionis, vbi docuerit ad domesticã

mesticam communionem, tres concubinationes pertinere, hoc est domini ad seruum, viri ad vxorem, patris ad filium, ostenderitq́ de singulis diuinam legem, præcepta iudicialia quibus inuicem ordinarentur tradidisse, post de vxoribus ita loquitur. Circa vxores verò statuitur in lege, quantum ad vxores ducendas, vt scilicet ducant vxores suæ tribus, sicut habetur Numer. vltimo. Et hoc ideo, ne sortes tribuum confundantur. Et q̃ aliquis vxorem ducat fratris defuncti, sine liberis, vt habetur Deuteronomii. 25. Et hoc ideo, q̃ ille, qui non potuit habere successores secundum carnis originem, saltem habeat per quandam adoptionem, & sic non totaliter memoria defuncti deleretur. Prohibuit etiam quasdam personas, ne in coniugium ducerentur, scilicet alienigenas, propter periculum seditionis, & propinquas, propter reuerentiam quæ eis debetur. Hæc diuus Thomas in eadem quæstione. Ex quibus dilucidum est, hęc iudicialia fuisse, nō moralia. Sed hactenus ex Thoma.

OBIECTIO TOLLITVR.

NEC OBSTAT quod in fine capitis, in quo prohibitiones illę memorantur, subdiderit Moses. Omnis anima quæ fecerit de abhominationibus his quippiam peribit de medio populi sui, neq; enim tanta vis in his verbis facienda est, quantam videri volunt aduersarii. Nam pro leuissimis quibusdam offensis talis comminatio in lege passim fit. Exodi duodecimo. Quicunq; comederit fermentatum peribit anima illa de Israel. Leuiti. 19. de hostia pacificorū loquēs. Si quis post biduum comederit prohanus erit, & impietatis reus, et paulopost peribit aīa sua de medio populi Leui. decimo septimo, ꝑ comestiōe sanguinis. Si comederit

sanguinem obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo.

PAVLVS BVRGENSIS

SED ET PAVLVS Burgensis affirmat ꝙ sint.56. casus in lege Mosaica, in quibus reperitur hæc clausula. Peribit vel interibit de populo suo. Neq; tamen in illis omnibus exactam fuisse pœnam sententiæ capitalis. Adde ꝙ multa dicuntur, apud Mosen abhominabilia & execranda, quæ tamen apud Christianos habentur in precio. Vt de congris & murenis lucidissimum est.

PRAETER HAEC ipse Petrus de Palude, fatetur ꝙ non omnia, quæ Leuitici.18. traduntur de iure naturæ sint, sed ferè oĩa. Quod si de iure naturæ nõ sint, certe neq; de moralibus habenda sunt, neq; tãtum graui aĩaduersione digna.

OBIECTIO.

CAETERVM HIC nobis obiici potest, quidam Augustini liber, cui titulum indicit Speculum Augustini, vbi collegisse se dicit plurima, tum præcepta, quę fierent, tũ prohibita ne fiant, quæ etiam nunc, idest, tempore noui testamenti ad vitam piam exercendam, moresq; pertinere testatur. Inter quæ & Leuiticas prohibitiones enumerat. Ex qua nimirum enumeratione videri potest. Augustinus omnino sensisse Leuiticas illas prohibitiões hodie Christianos obligare, & ad mores hominum pertinere, ac proinde morales esse non iudiciales.

RESPONSIO.

SED NOS hic respondemus, primum ꝙ tametsi prohibitiones ipsas hic recensuisset Augustinus, non explicuit tamen quibus limitibus eędem essent intelligendæ, sed istud distulit ad librum suarum quæstionum, quemadmodum in

eius

eius Speculi prologo testatur his verbis. In his autem omnibus, quæ inspicienda ponere institui, quęcunq; inter se videbuntur, esse contraria postea propositis quęstionibus exponenda atq; soluenda sunt.

EX QVIBVS verbis palàm est, hoc Speculum ante scriptum fuisse, quàm Augustinus quæstiones de Leuiticis prohibitionibus enodasset.

QVOCIRCA necesse fuerit, quęstionum ipsarum librum consulere, cui titulus est, Opus variarum quæstionum, Vbi inter quæstiones super Leuiticum, satis dilucide tradit, iuxta quem intellectum, Leuiticæ prohibitiones accipiendę sint. Nam prohibitionē illam, qua vetatur ne quisq; vxorem fratris sui accipiat, dicit triphariam intelligi posse, hoc est, vel viuo fratre, vel ipso absq; liberis mortuo, vel de vxore deniq; à fratre repudiata. Quum igitur Augustinus in Speculo pollicitus sit, nempe q expositurus & soluturus esset quęstiones, quæ super his, quę in libro memorata sunt emergere possent. Quumq; tales quęstiones ipsas docuisset triphariam intelligendas, nec deniq; sub vllo trium illorum intellectuum, casum nostrum voluisset comprehendi, manifestū est, q de nostro casu nihil diffinierit Augustinus, Quare nihil aduersum nos hoc Speculum facit.

DEINDE respondemus in illo Speculo, multa per Augustinum collecta fuisse, quæ neutiq; habenda sunt pro moralibus, quatenus morale distinguitur contra iudiciale, & cerimoniale. Neq; inficias eo, quin plæraq; sint, quæ ad mores aliquousq; spectant, quæ nequaq; ad istum modum habenda sunt moralia. Nam iudicialia, cerimonialia quoq; tametsi, nonnihil habeant moralitatis, moralia tamen haud quaq; censentur, Sed vt ad rem veniamus. Inter ea, quæ per

Augustinum excerpta sunt, é libro Exodi sic habetur. Qui percusserit hominem, volēs occidere, morte moriatur. Istud ibi recensuit Augustinus haud dubie. Neq; tamen sentit hac lege iam teneri Christianos.

RECENSVIT & istud. Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedē pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore. Et quis dicit hoc institutū Mosaicum, hodie vigorē suū seruare, pſertim cū Christus illud antiquarit?

PRAETER HAEC, & illud memorat. Decimas tuas & primicias non tardabis offerre. Quis hodie primicias frugum suarum, vt offerat teneri se putat. Et sunt cōplures qui se nolunt ad reddendas decimas, quum aliarum rerum, tum grossarum arborū obnoxios fateri. ADIVNGIT prędictis Augustinus. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odiētis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo. Et rursum ait, Primicias frugum terræ offeres in domo domini dei tui.

HAEC IN frōte Speculi diuus Augustin9 ānotauit. Ad quæ tamen, si quisq̄ affirmauerit, singulos hodie Christianos obligari, esset profecto q̄ durissimum. Quod si quis, ad hunc modum cætera collectanea, quæ non ligant, velit hic reponere, non paruum certe cumulum efficeret. Sed & huc præterea, citauit Augustinus omnia consilia, quæ Christus in Euangeliis tradidit. Et tamē ad hæc, arctare cunctos esset admodum temerarium. Quare non solido quouis argumento, firmari potest quicqd in eo Speculo traditur, id hodie Christianis omnibus obseruandum esse pariter: & ex his duabus responsionibus certum est, nulla posse ratione solida conuinci, prohibitiones illas Leuiticas vere morales

esse

esse, propterea quod inter huius Speculi collectanea reponatur.

OBIECTIO.

OBIICIVNT RVRSVM & istud, quod in Leuitici quæstionibus, Augustinus de prohibitione accessus ad menstruatam, dicit id etiam hic esse positum, vbi talia prohibita sunt, quæ etiam tempore noui testamenti, (remota vmbrarum veterum obseruatione) sine dubio custodienda sunt. Quod videtur etiam per prophetam Ezechielem significari, qui inter alia peccata, quæ non figuratæ, sed manifestæ iniquitatis sunt, etiam hoc cōnumerat, ad mulierē menstruatam. Si quis accedat, & inter iustitiæ merita, si non accedat. Qua in re non natura damnatur, sed accipiendæ prolis noxium prohibetur. Ex quibus verbis apparet, Augustinum sensisse prohibitiones illas, iam Christianis omnibus obseruandas esse, manifestæque iniquitatis esse, si quis eas transgrediatur.

RESPONSIO.

AT NOS HIC respondemus, Augustinum quum hæc diceret præmisisse voculam dubitandi, nempe, forte. Sed & mox item subiunxisse verbum videtur. Quod videtur etiam, inquit, per prophetam Ezechielem. Quare certum est, Augustinum hoc loco nihil diffiniisse, sed disputasse duntaxat. Neque enim in morem est eis, qui sententiam dicunt similibus vti verbis, sed his remotis, prorsus affirmare quod proponunt.

CAETERVM VT concedamus illum hoc asseruisse, nempe Leuiticas illas prohibitiones absque dubio custodiendas esse, haudquaquam tamen, hoc intelligi voluit iuxta generalitatem illarum prohibitionum, sed magis iuxta pecuiliarem aliquem sensum. Et vt mihi videtur viuo fratre.

Nam sic haud dubie prohibitio illa, nunc hodie custodienda est, & manifestam præ se fert iniquitatem, si quis fratriam duxerit viuente adhuc fratre. Veruntamen aliter sentiendum est mortuo fratre, quādoquidem vnitas carnis iam soluitur, soluto matrimonii nexu.

SED ETSI manifestę iniquitatis esset, vxorem fratris mortui ducere, quomodo præcepisset hoc ipsum deus per Mosen in Deuteronomio. Nihil enim deus mandauit, autore Hieronymo, quod suapte natura sit inhonestum, aut turpitudinis manifestæ. Quamobrem, quum illud fieri iussisset deus, & tam numerosæ plebi etiam lege publicitus tradita, qui fieri potest, vt istud manifeste vel iniquitatis, vel turpitudinis habeatur. Quare meo iudicio, locus iste iam citatus ex Augustino, palàm indicat illum haudquaq̄ sensisse, prohibitionē dictam intelligēdam fuisse fratre mortuo, sed viuo, quandoquidem ad hunc sensum, omnino sit iniqtatis & turpitudinis manifestæ.

TERTIO dicimus, ꝙ nec accessus ad menstruatam est in omni casu damnabilis. Nam si maritus tempore mēstruorum vteretur vxore propria, tantum vt vitaret fornicationē, ille iuxta Thomam, & alios disputatores, non committeret peccatum mortale. Quare sicut vsus mēstruatę, potest in casu fieri licitus, sic saltem & in casu ducere fratriam, quantumuis contrarium eius fuerit morale, potest in casu fieri licite. Et prę sertim vbi summus Pontifex causam approbauerit, quemadmodum & non semel fecit in casu nostro.

DE DISPENSABILITATE prohibitionum Leuiticarum.

IAM QVINTO loco docendum est, an sint prohibitiones istę dispensabiles necne? Hic sanè respondendū est, distin-

distinguẽdo sensuum diuersitatem, quos habere possunt dictæ prohibitiones. Nam si fratre viuo duxerimus eas intelligendas, tunc planè sunt indispensabiles. Neq; enim summus Pontifex dispensare posset, vt frater sibi copulet viuentis adhuc fratris vxorem, inter quos matrimoniũ aliquando fuisset consummatum. Et sanè multo probabilius est, eas prohibitiones intelligi debere fratre viuo, quemadmodũ nos multis rationibus alibi monstrauimus, quas hic & denuo repetere non grauabimur, vt sic integrior, & consummatior sit hæc responsio nostra.

PRIMA RATIO,

PRIMA RATIO igitur erit, complurium autorum in hac re consensus. Et Augustinus inprimis vir acerrimo iudicio, dicit non paruam quæstionem esse, num viuo fratre debeat illa prohibitio intelligi.

POST Augustinum Rodulphus Flauiacensis interpres & ipse Leuitici palàm affirmat, eas prohibitiones accipiendas esse, fratre viuo.

PETRVS item Blesensis in epistolis, vir eximie doctus. DRVTHMARVS super Matthæum insignis expositor. Glossa interlinearis ibidem. HVGO Cardinalis tã in euangelio Matthęi, q̃ super Leuiticũ. ALEXANDER Halẽsis, & alii complures, quorum cõmunem rationem hic subiiciam, quam & Alexander, ad hunc modum recenset.

IN LEVITICO inquit prohibetur, ne quis vxorẽ sui fratris accipiat. At in Deuteronomio vicissim præcipit, vt fratris (qui sine liberis defunctus est) vxorem frater accipiat. Quamobrem colligitur, vt sicut hic de fratre defuncto præcipitur, ita q; in Leuitico prohibetur, oportet intelligatur viuo fratre, ne videlicet scripturæ sibi inuicem contradicant.

Hæc igitur vna ratio est cur Leuitica prohibitio debeat intelligi, viuo fratre.

SECVNDA RATIO.

SECVNDO corroborabimus hoc ipsum ita, Moses vbi inter cæteras prohibitiones vetat, ne quis vxorem fratris accipiat, vt reuelet turpitudinem eius, intelligit omnino, viuente vxore. Quo circa, cum par sit affinitatis gradus, inter virum & sororem vxoris, atque inter fratrem, & vxorem fratris, oportet vt hæc prohibitio pariter intelligatur, viuente fratre, sicut illa fuit intellecta, viuente sorore.

TERTIA RATIO.

TERTIO SIC, Vbi Moses ibidē vetat, ne quis coeat cum vxore proximi, q̄ꝙ̄ non exprimat hanc particulam viuēte proximo. Nihilominus eandē vult intelligi. Nam proximo vita defuncto, bene licebit alteri, coniugem illius accipere. Quocirca nihil obstat, quin prohibitio de accipienda fratria, similiter intelligatur, viuente fratre.

QVARTA RATIO.

VNITAS carnis fratris & vxoris suę non durat vlterius, nisi q̄diu vixerit frater. Nam postq̄ frater vita semel functus fuerit, tametsi denuo suscitaretur ad vitam, solutum est matrimonii vinculū, vxorq́ꝫ libera reddita est, vt cui velit nubat. Quare nihil vetat vnitas carnis inter fratrē & vxorē suā, quo minus illo mortuo, frater eius illam sibi coniugio copulet.

QVINTA RATIO.

VETAT Moses in eodem capite, ne Iudæi iuxta morem regionis Chanaan, quā essent ingressuri, facerent, nec in legitimis eorum ambularent, nimirum ideo ꝙ fuissent, abhominabilia. Sed casum nostrū de ducenda fratria, mortuo fratre, Iudæi semper seu legitimum apud eos obseruabant, vt

mox

mox ostēdemus. Quinetiam ipse Moses hoc ipsum fieri mā dauit. Quare prohibitio illa, prorsus intelligenda est de fra tre viuo, quū nec abhominabile deo potuit esse, quod Moses fieri mandauit.

SEXTA RATIO.

TITVLVS ipsius capitis est de illicitis coitibus. Et sane cunctæ prohibitiōes, quas ibi tradit Moses sunt illicitæ. Casus vero noster semper fuit licitus, vt cum alias crebro docuimus, tum postea quoq; dicturi sumus. Quamobrem et de vxore viuentis fratris, cum qua plane coitus omnis illicitus est, intelligi debet ea prohibitio.

SEPTIMA RATIO.

OMNE VERVM omni vero consonat. Sed hoc est verum, ꝙ mortui fratris vxorem, frater alius potuit vel meri to suo ducere, ergo et cōsonat illud, cum alio verò quodcūq; detur. Atqui non consonat cum illa prohibitione Leuitica, nisi eam intelligamus fratre viuo. Quamobrem aut illa non erit vera, aut sensum alium habeat oportet, ꝙ de fratre quouis indifferenter, siue viui, siue mortui.

OCTAVA RATIO.

COMMINATVR Moses in eodem capite, ꝙ omnis anima, q̄ fecerit quippiā de ꝓhibitionibus antedictis, quas & abhominatiōes vocat, peribit de medio ppl'i sui. Sed nemo propter executionē casus nostri, periturus est, imò laudē potius & p̄mium reportaturus, adeo vt q recusauerit id facere, vituperio pœnaq; dignus apud Mosen iudicatur. Vnde cōsentaneū est, vt sicut præceptū Deuteronomii de fratre mortuo traditur, ita prohibitio Leuitica de viuo fratre intelligat̄.

NONA RATIO.

INTERMINATVR Moses ī leuiticis ꝓhibitionib9,

cuiq;

cuiq;, qui duxerit vxorem fratris, illum absq; liberis futurū. Sed seruantibus præcepta Deuteronomica, inter quæ præcipit idem Moses, vxorem fratris absq; liberis mortui ducendam á fratre, liberorum successionem pollicetur. Quare sicut hoc præceptum, fratre mortuo intelligitur, sic illa prohibitio videtur intelligi fratre viuo.

DECIMA RATIO.

MOSES in Leuiticis prohibitionibus fœditatē vocat & rem illicitam commisceri cum vxore fratris, sed cōmisceri, cum vxore fratris defuncti absq; liberis, nulla fœditas est. Alioqui non præcepisset Moses illud fieri. Nam vt Hieronymus ait, deus nihil præcepit, nisi quod honestum est. Quocirca manifeste colligitur, illam prohibitionem Leuiticam intelligi debere fratre viuo.

CONCLVSIO.

QVIS IAM non perspiciat ex his rationibus, q̃ facile defendi queat, aduersus omnem impugnatorem prima illa interpretatio diui Augustini, q videlicet prohibitio Leuitica, debeat intelligi fratre viuo. Et secundum hunc sensum prohibitiones illæ vere morales sunt. Neq; potest summus Pontifex cum eis dispensare.

QVOD SI mortuo fratre, relictis liberis accipiendæ sint, iam nō est dubium, quin vbi ratio legis cessauerit, Pontifex in eo casu dispēsare possit, rationem autem legis huius, Chrysostomus hāc fuisse tradit, nimirum vt amplior fieret dilatatio charitatis. Sic enim Omelia, 49. super Matthæū dicit Chrysostomus. Cum verò liberos defunctus reliquisset, tale matrimonium nullo modo procedebat. Sed cur nam ita inquies? Nam si alii vxorem defuncti ducere licebat, nonne multo magis fratri? minime. Voluit enim latiꝰ affinitates va

gari,

gari, vt multis modis inter se homines vincerētur. HAEC CHRYSOSTOMVS.

EX QVIBVS verbis dilucidum est, Chrysostomum existimasse legis huius hanc fuisse rationem, vt homines inter se maiori amicitiæ vinculo necterentur. Quum igitur in casu contingere poterit, occasio dilatandę charitatis amplior ex nuptiis fratriæ liberos habentis, q̄p si nupserit eadem extero, quis dubitabit in tali casu Pontificem posse dispensare. Quam rem si facere possit Pōtifex, multo facilius id pręstabit, vbi frater nullos omnino reliquit liberos. quandoquidem istud in lege Mosaica præceptum olim fuerat.

CAETERVM vt intelligamus, quid hac in re doctores alii senserint, iam in mediū, illorum sententias proferemus.

ANGELVS IN SVMMA.

QVAM vtcꝫ sententiam & Angelus in Summa sua comprobat sub dictione, Papa. Nam ibi quęrit, vtrum Papa possit dispensare in omnibus præceptis moralibus legis naturæ vel diuinę. Vbi post satis prolixam disputationem ex doctrina Scoti, Alexandri, Henrici, Francisci, vt ait, habitam, ita subdit. Vnde si occurreret casus particularis, in quo deficeret ratio legis, propter causas spirituales impedientes obseruationem præceptorum legis, ex applicatione ipsorum ad diuersas materias, tunc Papa possit dispensare.

RICHARDVS DE MEDIA VILLA.

CITAT AD hoc Richardum in.4. quem affirmat dixisse, ꝙ si Papa non posset dispensare, non videtur deus fuisse bonus paterfamilias, nisi dimisisset pastorem super gregē suum, qui posset consulere omnibus occurrentibus, & necessario expediendis. Nec etiam posset dici, ꝙ Papa, sit generalis commissarius dei, assumptus in plenitudine potestatis.

Cuius

libro,3.distin.40. quæstione secũda, conclusione prima sic dicit. Licet iure communi eius sit interpretari cuius est condere. Quia tamen legislator Christus á nobis recessit, vicarium dereliquit illum, qui habet plenitudinem potestatis in terris, saltem dubia in fide & moribus, & omnibus quæ ad deum ptinent declarandi. Sic enim expediebat propter enigmata fidei. Vnde & in veteri lege ad sacerdotes erat recursus de dubiis legis dei, quarum interpretationi qui non stabat mortis reus fiebat. HACTENVS Paludensis.

EGO IAM huic maiori subsumam aliam minorem, nimirum hanc. In dubium trahitur à compluribus, an hæc prohibitio cõiugis fraternæ, sit moralis, ob id potissimum, ꝙ quidam è theologis contendant eam esse moralem, tamet si minime probent. Quidam contrà, strenue reclamant & asserunt eam tantum esse iudicialem. Quis ergo non perspicit ex his consentaneum esse, vt Pontifici liceat hanc ambiguitatem tollere, declarando eam non esse moralem, pręsertim cum nequeat vlla solida ratione probari ꝙ sit moralis? Paucíq; reperiantur qui dicunt eam esse moralem, cõtra verò plurimi qui iudicialem esse constanter asserant. Quum igitur sententia Paludensis ad Pontificem spectat omnia dubia declarare consequitur, vt istud dubium explicare quoq; liceat, & planè decernere, prohibitionem illam fuisse iudicialem. quod & non semel factum est.

IOANNES DE TVRRE CREMATA.

CONFIRMAT eandem Ioannes de Turre Cremata, in Summa quam ædidit de Ecclesia libro secundo ca. 107. Vbi sic dicit. Ex prædictis infertur secundo correlarie, ꝙ ad Romanum Pontificẽ pertineat interpretari sacram

scripturam, & dubia declarare, quæ emergunt, circa ius natu rale, siue diuinum. Hoc autem correllarium, sic ex superioribus deducitur, pro quo primo notatur, quod determinare dubia, in talib9 potest esse dupliciter. Vno modo, scilicet inquisitiue, sicut potest quilibet ex ingenio, vel habitu inquirere de dubiis alicuius scientiæ. Et isto modo declarare, potest pertinere ad quemcūꝗ doctum in aliqua scientia. Et vocat determinatio, siue declaratio magistralis. Alio modo potest accipi, declarare cum aliqua autoritate, sic scilicet ꝙ declaratio, debeat pro vera teneri vel opinari. Et isto modo potestas, siue auctoritas declarādi prædicta dubia, est solum apud summum Pontificem, simpliciter. Similiter est distinguendum de interp̄tatiōe legis diuinæ, aut sacræ scripturæ. Quia quædam fit per modum disputationis, & inquisitionis scolasticæ, perquirendæ, quis sit sanus intellectus ipsarum, nihil ad verba legis, vel scripturæ, adiiciendo vel subtrahendo. Alius est interpretationis modus, per modum determinationis obligatoriȩ, ad tenendum intellectum, siue sensum datum per interpretationem.

PRIMVS modus est magistrorum, quorum tamen interpretatio, neminem cogit ad sic tenendum. Secundus verò modus interpretationis, est Romani Pontificis, cuius determinatio obligat oēs ad sic tenēdum & obseruandū. Hȩc ille.

HIC VIDES Lector, huius viri sententia, Pontificem habere potestatem declarandi scripturas, & dubia, quæ emergunt circa ius naturale, siue diuinum, non inquisitiue solum, vt disputatores faciunt, sed autoritate diffiniendi, quid ꝓ vero teneri debeat. Ita ꝙ nemini liceat oppositum asserere.

DEINDE subiicit huius rei iustam probationē, ad hunc modum. Quod ratione potest ostēdi, oportet ponere in ecclesia

clesia vnum caput, ad quod ptineat determinare, & declarare, & interpretari illa quæ sunt dubia circa quæcunq ad fidem pertinentia, siue sint speculatiua, siue agibilia. Sed constat q in Ecclesia, non potest esse aliquod tale caput, nisi solus Papa &c. Minor patet in superioribus, maior probabitur, q oportet ponere Ecclesiam sic dispositam à deo, q tota communitas vniuersalis Ecclesiæ, maneat in vnitate fidei, & in vna sententia de fide. Vnde Apostolus. 1. Corin. 1. Obsecro vos fratres, per nomen domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis scismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sentētia. Sed hoc non potest esse, nisi tota communitas Ecclesiæ recursum habeat ad vnum caput, scilicet ad pręsidētem, apud quem esset auctoritas declarandi, & interpretandi dubia circa ea quæ sunt fidei.

PERTINET ergo ad Romanum Pontificem, declarare dubia, & interpretari circa ea, quæ fidei sunt, siue iuris naturalis & diuinæ. HAEC ILLE.

EX HAC ratione, colligit Romanum Pontificem auctoritatem habere declarandi, & interpretandi dubia circa ea quæ sunt fidei, siue iuris naturalis & diuini. Quum ergo dudum in quæstionem venerit inter eruditos, an prohibitio dicta sit moralis necne. Et Pōtifex facto suo partem eam approbauit, quæ censuit tantum esse iudicialem.

PALAM EST q habenda sit pro iudiciali, & q Pontifici liceat, in tali affinitatis gradu dispensare.

ANTONINVS.

ASTIPVLATVR illis & Antoninus in tertia parte Summę. Vbi posteaq recensuerit opinionem Petri de Palude, sic tandem subdit, instar sacrilegii esse, disputare de pote-

 state

ſtate principis, & pręcipue Papæ, neminiq; eſſe permiſſum, de ſedis apoſtolicę iudicio iudicare, ac illius ſententiam retractare, videlicet propter Romanę Eccleſię primatum, Chriſti munere beato Petro collatum. Dicit tamen licere vni Pontifici, vt de altero quouis iudicet, quemadmodum Gregorius nonus quum ante fuiſſet prohibitum matrimonium vſq; ad ſeptimum conſanguinitatis & affinitatis, ipſe reuocauit vſq; ad quartum.

SVADET demum in fine conſulendum eſſe nemini vt diſpenſationem petat à Pontifice contrahendi cum tali, cuius matrem vel germanã ante carnaliter cognouerat. Sed ſi poſt contractum, & multò magis conſummatum matrimonium obtinuit diſpenſationem remanendi cum illa, dimittendum eſſe negotium iudicio dei, nec eſſe condemnandum. HAEC ille.

PALAM eſt igitur Antonini ſententia, q; habita diſpenſatione ſuper huiuſmodi nuptiis, matrimonii copula ſemel in vita nullo pacto dirimenda ſit.

EX HIS AVTORIBVS dilucidum eſt, vbi Pontifex in huiuſmodi caſu diſpenſauerit ſtandum eſſe Pontificis diſpenſationi. Nam in dubiis omnibus, ille ſolus ambiguitates omnes tollere poteſt, & eius decreto parendum eſt, nihilominus q̃ legis Moſaicæ tempore, ſacerdoti ſummo fuerat obtemperandum. Id quod fieri ſub pœna mortis interminatum erat. Siue igitur nata fuerit ambiguitas, an prohibitio Leuitica moralis an iudicialis fuerit, ſeu venerit in controuerſiam, an Pontifex diſpenſare poſſet, an ſecus, vt frater defuncti fratris abſq; liberis vxorem ducat, ille ſolus nodum huius ambiguitatis diſſoluere poteſt. Quod ſi pro hac vel illa parte, ſententiã tulerit, nemo citra ſummũ diſcrimen,

men, decretum eius poterit contemnere. QVVM igitur apertissimum sit, talem his diebus controuersiam exortam esse, multis asserentibus, id licere Pontifici, multisq; reclamantibus id non licere: Pōtifex quia litem hanc, suo facto diremerit, atq; istud non semel, neq; solus vnus Pontifex, iam illi viderint, num sanis conscientiis matrimonium quod sub huiusmodi casus dispensatione, consummatū ante fuerit, diuorciari queat vllo pacto.

QVOD SI DIXERINT se manifestis argumētis quæ labefactari nequeant, posse commōstrare, prohibitiones illas vere morales, ac proinde prorsus indispensabiles esse, paucis respondeo nunq̃ illos id facturos, nisi pro viuo fratre velint eas intelligi. Sic enim, si prohibitiones dictas accipi velint, non est dubium vt diximus, quin sint morales. Verum ita nostro instituto nihil officiunt. Quod si mortuo fratre velint eas intelligi, licet ita nonnihil moralitatis habere videātur, quemadmodum & cerimonialia iudicialiaq; omnia moralitatis aliquid habent. Non est tamen id satis vt sint vere morales. Nam iuxta huius vocabuli conceptionem ab autoribus traditam, morale dicitur non quicquid ad mores pertinet, sed quod contra iudiciale cerimonialeq; distinguitur. Cęterum vter horum intellectuum verior sit, hoc est an viuo fratre, an mortuo absq; liberis intelligi debeant illę prohibitiones, nullis argumentationibus diffiniri potest, sed solius Pontificis interpretatione. Sunt enim in vtramq; partem argumēta plurima, sed longe præponderant ea quæ moliuntur, q̃ prohibitiones illę debeant intelligi, fratre viuo. Quamobrem & Pōtifex eam partē facile cōprobare poterit, vtcunq; fuerit, nulla tā efficax ratio produci valet quæ conuincat, non posse Pontificem quemlibet huius contro=


uersię scrupulum penitus auferre.
OSTENDIMVS igitur ea quæ statim à principio polliciti fuimus. Et primũ quod ducere fratriã, cui nulli fuissent relicti liberi, vere præceptũ esset in Deuteronomio.
DEINDE QVOD præceptum illud accipiendum sit, vel de vterino fratre, vel de proximo ipsius consanguineo.
TERTIVM QVOD Leuiticæ prohibitiones non sunt vniuersaliter intelligendæ, sed ad sensum aliquem contrahendæ peculiarem.
QVARTVM QVOD in sensu aliquo, sunt mere iudiciales, non morales.
QVINTVM QVOD in aliquo sensu sint dispensabiles, in aliquo minime.
PRO QVIBVS COMMMONSTRANDIS, tametsi quibusdam forte visi fuerimus haudquaq̃ ita rem firmasse vt eneruari nequeat, satis tamen ad institutum nostrum faciet q̃ aduersarii nihil producere queant, quod à nobis non facile dissoluetur. Nam donec istud fecerint, quod & scio nunq̃ facturi sunt, semper apud Pontificem auctoritas manebit in casu nostro dispensandi. Quam quidem auctoritatem; quum nullis rationibus infringere queant, nunq̃ dirimi poterit dictum matrimonium.

FINIS.

ERRATA QVAE INTER CA-
stigandum sunt deprehensa, sic subnotauimus.

A.ii.linea.7.demigratum lege denigratum.
A.ii.pagi.2.linea penul. Augustinam, leg. Augustiniani.
A.iiii.pag.2.linea.8.exstiterit, lege extiterit.
Eadem pag.li.5.ante fin.imprimus, le.in primis.
Fo.6.pagi.1.lin.14.vbi legis. & in vita.le.inuita
Fo.8.pagi.1.ad medium.his tres Euangelistæ.le.hi tres.
Fo.9.pagina.1.ad medium.fuit Eli Ioseph, igitur.le.fuit Eli, Ioseph igitur.
Fo.9.pagi.2.lin.2.per Mathan verò per Dauid.Lucas.le.per Nathan verò à Dauid Lucas.
Ea.pagi.li.7.per Mathan, leg. per Nathan.
Ea.pagi.li.16.qui per Mathan genus ducit.leg.per Nathan.
Ea.pagi.li.a fine.4.ad quã Lucas.le.ea quã Lucas.
Ea.pagi.li.a fine.3.qui fuit Iacob.leg.qui fuit Eli.
Fo.10.pagi.2.lin.a fine.8.ex tribu Mathan.le.Nathan.
Ea.pag.li.a fine.4 ex tribu Mathan.le.Nathan. bis.
Fo.11.pa.1.li.a fine.3.Mathan.le.Nathan.
Eadem linea, anus, leg.auus.
Eo.fo.pagi.2.li.a fine.13.manibus.leg.inanibus.
Ea.pa.li.a fine.4.Mathan.leg.Nathan.
Fo.12.pa.1.linea.2.Mathan.leg.Nathan.
Ea.pagi.li.13.per Mathan.leg.Nathan.
Ea.pag.li.19.ex Mathan.leg.& Nathan.
Pagi.2.li.a fine.11.hud.leg.haud.
Fo.13.pag.2.lin.7.per Mathan.leg.per Nathan.
Fo.14.pag.2.lin.1.nam.leg.num.
Ea.pag.linea à fine.5.Eli Melech.leg.Elimelech.
Fo.15.pagi.2.lin.8.iudiciis.lege indiciis.
Fo.17.pagi.1.li.ante fi.8.qui decesserit, le.qui nõ decesserit.

Fo.25.pagi.1.lin.11.aborta.leg.oborta.
Fo.27.pagi.1.li.19.fubdens.leg.fubdit.
Eo.pagi.2.li.18.fed quantum.lege fcilicet quantum.
Fo.28.pagi.1.li.18.pro ifta,lege iftum.
Ea.pagi.li.21.habet.lege habent.
Fo.29.pagi.1.lin.7.fed, abundat.
Eodem.pagi.2.line.15.dignofci.
Fo.30.pagi.2.linea.2.poffunt.lege poffint.
Eodem line.10.Peligiani.Ibidem, referenda,fed prorfus.
Eadem pagi.á fine lin.11.Quum igitur.
Fo.31.pagi.1.line.13.Et adhærebit vxori fuæ.
Eadem pagi.line.penultima á fine.eft abundat.
Fo.32.pagi.2.line.á fine.9.Propter.
Fo.33.pagi.2.lin.10.adiecit his. Ea.lin.17.& abundat.
Fo.34.pagi.2.lin.9.á fine,poteft Auguftinum.
Fo.36.pagi.2.li.13.habeatur.Fo.37. pa.2.li.vlti.feu le.ceu.
Fo.38.pagi.1.linea.15.lege vero,vt fit nomen.
Fo.39.pag.2.line.16.de fimilibus,lege cum fimilibus.
Eadem pagi.lin.20.Quia,lege Quod.



COMPLVTI APVD MI-
chaelem de Eguia,menfe Au-
gufto.Anno.1530.